DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ
DE
SATISFACTIONE
CHRISTI,

Adversus

FAUSTUM SOCINUM
Senensem:

Scripta ab

HUGONE GROTIO.

Cum GERARDI JOHANNIS VOSSII *ad judicium* HERMANNI RAVENSPERGERI *de hoc libro responsione.*

LONDINI
Excudebat R. DANIEL,
M. DC. LXI.

VERITATIS EVANGELICÆ

STUDIOSIS

Gratiam & pacem à Domino.

Cùm in plurimis doctrinam Catholicam Socinus *sibi deserendam putârit, tum majori cum periculo nusquam ab ea recessit, quàm in illis, quæ ad gloriam Christi pertinent, sive naturam alteram, eámque nobiliorem, sive beneficia summa abnegando. Est enim Christus naturâ Deus, ante omnia secula: sed in seculo anima rationalis & caro accessit in unitatem personæ. Beneficia ejus partim in iis consistunt, quæ vitâ & morte semel acquisivit nobis: partim quæ quotidiè confert. Acquisivit jus duplex: ad effugiendam pœnam, & ad præmium consequendum. Confert verò non hæc ipsa duntaxat, quæ justificationis & glorificationis nomine designantur, sed fidem insuper, absque quâ Deo placere non*

possumus : & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Neque hæc operatur exteriori solùm doctrinæ cœlestis revelatione & perfectissimo vitæ exemplo : sed vel imprimis internæ gratiæ suæ donis, quibus in solidum, quicquid nobis salutaris boni inest, debetur. Ex his dogma æternæ Christi Deitati adversans, in Paulo Samosateno *damnavit sancta & ab Apostolicis uberibus satis recens Ecclesia : ejusdem mali reliquias in* Ario & Nestorio posterior *ætas vidit & debellavit. Ad fidem sanctitatémque inchoandam, promovendam, consummandam necessaria esse interna ac gratuita Christi dona, humanarum virium prædicator* Pelagius *negavit : multisque Scripturarum testimoniis per Synodorum judicia & Episcopalia scripta convictus fuit. Supersunt errores, quibus acquisiti juris beneficia evertuntur. Hi sincerâ quidem veritatis confessione ab omnibus retrò seculis damnati fuere, non tamen ad eos refutandos diligentiam parem contulit quisquam, quia nec qui propugnando hanc sibi propriam causam faceret, ullus erat. Quanquam nec modica in istis tum* Samosateniani, *tum* Pelagiani *erroris fibra apparet. Nam actiones & perpessiones Christi minoris æsti-*

met

met necesse est, quisquis illum, non quantus est, agnoscit: & vicissim qui factis humanis nimium ponit pretium, facilè adducetur, ut sibi Mediatore haut opus putet. Istos igitur errores vetustati minùs notos, cum Socinus *fecerit suos, pro parte minùs tractata par est majore studio laborari: quod fieri quotidiè videmus à Theologis pro Ecclesiæ doctrina, undique in aciem dimicationémque venientibus. Cùm verò duo nobis peperisse Christum dixerimus, impunitatem & præmium, illud satisfactioni, hoc merito Christi distinctè tribuit Vetus Ecclesia. Satisfactio consistit in peccatorum tralatione: meritum in perfectissimâ obedientiæ pro nobis præstitæ imputatione. Utrumque horum vehementi cum studio impugnavit* Socinus: *sed in priori fundamenta causæ suæ in quibusdam juris quasi principiis collocavit. Vidit hoc V. Cl.* Hugo Grotius, *Civitatis* Roterodamensis Syndicus, *& in Collegio delegatorum ab Illustribus* Hollandiæ *&* West-Frisiæ *Ordinibus Senator. Quocirca pro suo erga Ecclesiam Dei amore, non acquiescendum sibi putavit, quin, relictâ aliis Meriti quæstione, ipse eam quæ de Satisfactione est, tractandam susciperet. Nimirum, certissimum ei erat, quam* Socinus

nus *oppugnat ſententiam, clariſsimis Scripturarum verbis contineri : neque minus certum, Dei dona, verum ſcilicet juris naturalis lumen, & auguſtius lumen fidei, minimè inter ſe pugnare. Itaque exiſtimavit, facturum ſe rem Chriſtiano Juriſconſulto non indignam, ſi ea, quæ à jure petuntur arma, Catholicæ fidei adverſario extorqueret : quod facili negotio fieri poſſe, deprehendit. Mox alia etiam* Socini *ruſpanti obtulere ſe plurima, quæ partim ad vocum interpretationem, partim ad hiſtoriam pertinerent. In quibus cùm non minùs aberrare* Socinum *vidiſſet, nec ſilentio tranſeunda hæc putavit. Poſt iſta, non ita multa ejus argumenti reſidua jam erant. Ne igitur hiaret opus, illa etiam perpetua ſerie connectere animus fuit. Cæterum in his commentandis, profitentem ſæpe audivimus, non tam Theologi, quam Chriſtiani hominis officio fungi voluiſſe : ſolere in bello haſtas adminiſtrare etiam illos, qui ad pugnam minus ſunt idonei : talem velle æſtimari laborem ſuum ; quem interim non inutilem alii fore ſperat, qui, animi plenus, juſtum prælium molietur. Eſt vero jam bienvium & amplius, quod opera hæc inſumpta eſt. Interea liber iſte vel delituit domi, vel verſatus eſt inter ma-*

nus

nus clariſsimorum aliquot S. Theologiæ Profeſſorum, doctiſsimorum Eccleſiæ Paſtorum, aliorumque qui non eruditione minus, quam dignitate præſtarent: premente fœtum hunc ſuum auctore, ſpe bonâ, ut uſui hic labor alteri eſſe poſsit, qui ſingula diligentius elaboraret, & huic de Satisfactione, alteram adjiceret de Merito tractationem. Nos vero, cum præſtantium virorum limato & acri judicio non mediocriter probaretur hæc opera, è re & publica & Eccleſiæ eſſe judicavimus, oſtendere eum, qui vel Princeps, vel inter primos eò conſilia componit ſua & cõpoſuit ſemper, ut ne unquam noxiæ dogmatum herbæ in Bataviæ ſolo pullulent & ſuccreſcant, paratiſsimum eſſe, ad eam rem ſymbolam quoque ſuam conferre. De ſumma rei, quam defendit, plane ſe perſuaſum eſſe, non ſemel retulit nobis: particulatim autem, ſi quid minus rectum à ſe dictum ſit, hoc indictum ſe velle: piorum ac eruditorum judicio gratiſsimo ſe animo accepturum, ſcire non ſuam agi cauſam, ſed Chriſti: cui grata fore ſe confidere, & quæ alii ex uberiori gaza contulerint, & ſuum ex tenui (ſic ex animo loquitur) peculio quadrantem. Vale quiſquis Catholicæ doctrinæ faves, & nobiſcum Virum Ampliſsimum, Reip. & Ec-

cleſiæ cauſſa, Deo precibus tuis etiam & etiam commenda. Lug. Batav. *in Collegio Theolog. Ill. DD. Ord.* Holl. *&* Weſtf. 8. Kal. Sept. *An. Chri.* cIↃ IↃc xvii.

GER. JOANNIDES

VOSSIUS

Coll. Regens.

DE-

DEFENSIO FIDEI CATHOLICÆ de Satisfactione CHRISTI;

Adversus

FAUSTUM SOCINUM

Senensem:

Scripta ab HUGONE GROTIO.

CAP. I.

Ostenditur Controversiæ status, & vera sententia Scripturæ verbis explicatur.

ANtequam ad hanc disputationem veniamus, ponemus primum eam sententiam quam ex sacris literis depromptam imperturbata fide hactenus Christi Ecclesia defendit, ut deinde quid inter hanc & *Socini* placitum intersit, clare appareat: de-

inde eandem sententiam explicabimus allatis quibusdam Scripturæ testimoniis, quæ quia alio detorsit *Socinus*, obiter vera eorum interpretatio vindicabitur.

Catholica ergo sententia sic habet: Deus motus sua bonitate ut nobis insigniter benefaceret, sed obstantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, constituit, ut Christus volens ex sua erga homines charitate, cruciatus gravissimos & mortem cruentam atque ignominiosam ferendo pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salva divinæ justitiæ demonstratione, nos, intercedente vera fide, à pœna mortis æternæ liberaremur.

Causa efficiens rei, de qua agimus, prima est Deus: *Deus Filium suum unigenitũ dedit, ut qui credit in eum non pereat:* Joh. 3. 16. *Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Rom. 8. 32. *Deus impegit in Christum peccata nostra omnium.* Esaias 53. 6. *Deus Christum fecit peccatum.* 2 Cor. 5. 21.

Causa quæ Deum movit, prior est misericordia sive φιλανθρωπία. *Ita Deus dilexit Mundum, ut Filium daret.*

daret. Joh.3. 16. *Commendat Deus suam in nos charitatem, quòd, cum peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis est mortuus.* Rom.5.10.

Causa altera,quæ Deum movit,sunt peccata nostra pœnam commerentia. *Traditus est* Christus *propter peccata nostra.* Rom.4.25.Ubi est διὰ cum accusativo:quæ apud *Græcæ* linguæ Autores sacros & profanos usitatissima est nota causæ impulsivæ. Ut cum dicitur διὰ τοῦτο, *propter hæc venit ira Dei in filios contumaciæ,* Ephes.5.6. Quoties vero phrasis ista,*propter peccata* perpessionibus jungitur, diversum à causa impulsiva sensum non recipit.*Corripiam vos septies propter peccata vestra.* Levit.26.28. *Propter ista abominãda Dominus Deus ejicit eas à conspectu suo.* Deut.18.12. Et passim alibi in sacris literis:neque usquam aliter.Idemq; plane valet phrasis altera *pro peccatis*, quoties & ipsa perpessionibus adhæret. Huc illa pertinent. *Christus mortuus est* ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν,1 Cor.15.3.*Christus semel passus est* περὶ ἁμαρτιῶν, 1 Petr.3. 18.Christus *dedit se* περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν, Gal.1.4.*Christus obtulit sacrificium*

ὑπὲρ

ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. Hebr. 10. 12. His tamen
Lib. 2. cap. 7. in locis *Socinus* finalem causam, non
Lib. 3. cap. 7. & lib. 2. cap. 25. impulsivã vult denotari: imo quod amplius est addit, *Pro* dictione & Græca ὑπὲρ nunquam impulsivam, semper autem finalẽ causam declarari. Posterius hoc, quo *Socinus* nititur, verum non esse multi loci evincunt. Nam ὑπὲρ & περὶ significare solent non minus causam impulsivam, quam causam finalẽ. Dicuntur *Gentes* laudare Deum ὑπὲρ ἐλέους. Rom. 15. 9. *Gratiæ agantur pro nobis* ὑπὲρ ἡμῶν inquit *Paulus*, 2 Cor. 1. 11. ὑπὲρ ὑμῶν, ad Ephes. 1. 16. & ὑπὲρ πάντων, Eph. 5. 20. *Oramus* ὑπὲρ Χριστοῦ, 2 Cor. 5. 21. *Magna est mea gloriatio* ὑπὲρ ὑμῶν, 2 Cor. 7. 4. & 9. 2. & 12. 5. *Angustiæ* ὑπὲρ Χριστοῦ, 2 Cor. 12. 10. *Gratias ago De* περὶ ὑμῶν, 1 Cor. 1. 4. *Deus arguet impios* περὶ πάντων ἔργων ἀσεβείας, Jud. 15. Sic & *Latini* dicunt, *pro beneficiis gratias agere* aut *reddere*, ut sæpissime *Cicero*. Idem dixit, *ulcisci pro injuriis, pro magnitudine sceleris pœnas persolvere, supplicia pro maleficiis metuere*: ut *Plautus*, *castigare pro commerita noxia*. Et *Terentius*, *pro dictis & factis ulcisci*. His omnibus locis *Pro* causam non finalem

nalem, sed impulsivam significat. Sic & cùm *pro peccatis passus*, aut *mortuus* dicitur Christus, causam finalem (ut vult *Socinus*) intelligi res ipsa non patitur. Nam cùm finis sit duplex, τέλος οὗ καὶ τέλος ὅ, ut finis cui fit medicina est æger, finis cujus gratiâ est sanitas, peccato neutrũ convenit. Sive enim cum *Socino* dicas finem esse mortis Christi ut à peccatis retrahamur, sive etiam ut consequamur remissionem peccatorum (ut omittamus hunc finem ex ipsius sentẽtia morti non potuisse tribui nisi remotissimè) neutrum indicari potest istis vocibus, propter peccata, vel, pro peccatis: Nã finis cui erit homo; finis autem cujus gratia non peccata, sed id quod peccatis maximè pugnat, destructio peccatorũ, vel remissio. Quis unquam dixit pharmacum sumi propter mortẽ, id est mortis avertendæ causâ? sed propter morbum sumi ideò dicitur, quod morbus nos eo adigat. Sequitur ergo ut impulsiva causa hîc accipienda sit. Quare cùm & particula ב apud *Hebræos* causam antecedentẽ sive impulsivam denotet, ut *Psal.* 38.9. & alibi sæpè, locus *Esaiæ* 53.5. melius & Scripturis aliis congruentiùs transferri.

ferri non poteſt quàm, *Dolore afficitur ob defectiones noſtras; atteritur ob iniquitates noſtras*: Et ille *Rom.* 6.10. Chriſtus τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν, quid aliud denotare poteſt, quam, mortuus eſt ob peccatum?

Cauſa autem impulſiva cum poſſit eſſe multiplex, hoc loco meritoria accipienda eſt. Agitur enim de pœna, ut mox oſtendemus. Peccata autẽ pœnæ cauſa ſunt non aliter quam per modũ meriti. Neq; vero oſtendi poterit voces iſtas, *ob peccata*, vel, *propter peccata*, præſertim ubi perpeſſionibus junguntur, aliter ſumi uſquã in ſacris literis quã in hoc meriti ſignificatu. Nõ evincit contrariũ locus ille 1 Reg. 14. 16. *Tradet Deus Iſraelẽ propter peccata Jeroboami.* Nã peccata *Ieroboami* illo loco ſignificant genus ipſum peccati; idololatriã ſcilicet, cujus populo autor fuerat *Jeroboamus*: idque manifeſte explicant ſequentia, *quibus peccavit, & quibus peccare fecit Iſraelẽ.* Hæc enim verior eſt interpretatio, quam illa à *Socino* allata, *qui peccavit, & peccare fecit Iſraelẽ.* Peccata ergo illa, quorũ autor erat *Jeroboamus*, imitator populus, traditionis iſtã

pœnam

pœnam merebantur: Ut jam taceam, teſtari ſacras literas, merito imitatores alieni peccati pœnas dare, non tantũ ob ſua, verumetiam ob aliena peccata; quod tam manifeſtum eſt, ut *Socinus* ipſe fateri cogatur, puniri aliquem poſſe, dum culpæ affinem ob peccata aliena. Locus autem *Pſalmi* 39.12. quem *Socinus* citat, manifeſte contra ipſum facit: Ait enim, *In increpationibus propter iniquitatẽ corripuiſti aliquẽ, & liquefieri feciſti ut tineã deſideriũ ejus*: hoc eſt; Si quem velis punire quantum meretur peccatum, profecto ei homini ipſa vita vitalis non erit. Hac enim ratione Deum vult permovere ad miſerationem: ut alibi, *Si iniquitates obſervaveris* (hoc eſt, rigide earũ pœnas exegeris) *quis ſtabit*, aut *ſuſtinebit? Pſal.* 130.3. Manet ergo illud inconcuſſum, phraſin, *ob peccata*, cauſam denotare impulſivam, & quidem meritoriam. Nam quod *Socinus* alicubi hoc quærit effugiũ, ut dicat ſatis eſſe ad hujus phraſeos veritatem, ut qualiſcunque occaſio indicetur, id primum ipſius poſitioni repugnat, qua dictionem *Pro* dixerat nunquam ad impulſivam, ſemper vero ad finalem cauſam *Cap. 7. l. 2. & lib. 3. c. 10.*

causã referri, cùm occasio causa finalis sit nullo modo: si autem causa dici meretur, ad impulsivam referri debeat. Deinde verò talem expositionem vocum *pro peccatis*, &, *propter peccata*, tùm Scripturæ, tùm sermonis communis usus planè repudiat. Intelligi hinc
Lib. 3. cap. 10. potest, quàm nõ rectè *Socinus* neget, præter Dei & Christi voluntatẽ, causam antecedentẽ mortis Christi posse reperiri: quod plane adversatur *Pauli* dicto, *Si per Legẽ justitia, ergo Christus δωρεὰν est mortuus*, Gal. 2. 21. Ubi
Lib. 2. cap. 24. vox *δωρεὰν*, *Socino* agnoscẽte, significat sine causa: sed addi debuit, sine causa antecedente: quæ originaria & maximè frequens hujus vocis est significatio. Origo est à voce *δωρεὰ*, quæ donũ significat, hoc est, dationem talẽ, quæ causam juris antecedentem non habeat: unde cœpit ad alia quoq; transferri, in quibus antecedens causa non reperitur. Sic *David*, *Psal.* 25. 19. de inimicis suis loquens, ait, *Oderunt me eum*, hoc est, cùm odii causas ipsis nullas præbuerim: quod sibi applicans Christus apud *Joh.* 15. 25. ait, *oderunt me δωρεὰν*, eodẽ planè significatu. Locus ipse *Pauli* de quo agimus aliam

quàm

quàm antecedentem causam intelligi non patitur. Nam, quam causam *Socinus* comminiscitur, nimirùm ut fides fieret vitam emendantibus remissionis peccatorum, hæc causa finalis ad prædicationem & ad resurrectionem, non autem ad mortẽ pertinet. Quod cùm videret *Socinus*, mortis nomine hic Christum intelligi voluit, & prædicationem quoq; ac resurrectionẽ includi: tum distortè, tum contra *Pauli* mentem. Negans enim *Paulus* Christum sine causa mortuum, indicat causam aliquam esse propriam, quæ ad mortem Christi pertineret. Nam alioquì potuit ob certam causam prædicâsse, & ob certã causam præmio esse affectus, (nam juxta *Socinũ* huc duntaxat refertur resurrectio) & non tamẽ esse mortuus. Præterea, mortẽ Christi à *Paulo* peculiariter respici, satis ostendit id quod præcedit, *qui tradidit semetipsum pro me*. Ista enim traditio mortem ubiq; in Scripturis designat. Et hoc ipsum Dei gratiam vocans *Paulus*, negat id à se sperni aut rejici, causamq; continuò reddit. Nam si per Legem est justitia, Christus jam sine causa erit mortuus: ex contrario designans

Lib. 2. cap. 24.

nans cauſam propriam, cur ſe tradiderit Chriſtus mortuuſq; ſit, hanc eſſe, quod nos per legem juſti non eſſemus, ſed rei pœnæ. Noſtra ergo ἀνομία cauſa eſt antecedens mortis Chriſti.

Cauſa efficiens altera eſt ipſe Chriſtus & quidem volens. *Pono*, inquit *Chriſtus, animam meam: nemo eam tollit à me, ſed ego pono eam à memetipſo*, Joh. 10. 18. *Chriſtus tradidit ſe pro nobis, pro Eccleſia*, Gal. 2. 20. Epheſ. 5. 2. & 5. 25.

Cauſa quæ Chriſtum movit, fuit ipſius φιλανθρωπία. *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis alter alterum, ſicut ego dilexi vos. Majorem hac charitatẽ homo non habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis*, Joh. 15. 13. *In fide Filii Dei, qui amavit me, & tradidit ſeipſum pro me*, Gal. 2. 20. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, Apoc. 1. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ*, Eph. 5. 2. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*, Eph. 5. 25.

Materia eſt tum cruciatus mortẽ antecedentes, tum præcipue mors ipſa.

Crucia-

Cruciatus *Esaias* efficaci vocabulo חבורה 53.5.& *Petrus* μώλωπα appellavit, 1 *Pet.* 2. 24. Ideoque & crucis mentionem videmus fieri, ubi hoc argumentum tractatur: *Reconciliavit utrosque Deo per crucem*, Eph. 2. 16. *Pace facta per sanguinem crucis*, Col. 1. 20. Neq; vero cruciatuum nomine intelligendi sunt soli dolores corporales, sed vel imprimis illæ perpessiones animi longe gravissimæ, quas Evangelistæ vocibus λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, significant, & quas præcipue respiciens Christus à Deo se derelictũ exclamat. Altera materiæ pars, mors ipsa passim urgetur: *Pono animam meam*, Joh. 10. 18. *Reconciliavit nos per mortẽ*, Col. 1. 22. *Morte intercedente ad redemptionẽ transgressionũ*, Heb. 9. 15. Hæc mors consideratur in sacris literis cum duabus præcipue qualitatibus, ut cruẽta, & ut ignominiosa. Qualitas illa mortis cruẽtæ, voce *sãguinis* denotatur. *Hic est sãguis novi Fœderis, qui pro multis effũditur in remissionẽ peccatorũ*, Mat. 26. 28. Luc. 22. 20. *Deus acquisivit Ecclesiã suo sanguine*, Act. 20. 28. *Deus Christũ constituit propitiatorium per fidẽ in sanguine*

guine ipsius, Rom. 3. 25. *Justificati in sanguine ipsius*, Rom. 5. 9. *Habemus redemptionẽ per sanguinẽ ipsius peccatorum remissionem*, Eph. 1. 7. *Qui longè eratis, propè facti estis in sanguine Christi : ipse enim est pax nostra*, Eph. 2. 13. *Habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, Col. 1. 14. *Pace factâ per sanguinẽ crucis*, Col. 1. 20. *Non per sanguinẽ taurorũ aut vitulorũ, sed per sanguinẽ propriũ semel intravit in sancta, repertâ æternâ redemptione*, Heb. 10. 12. *Sine sanguinis effusione non fit remissio*, Heb. 10. 22. *Accessistis ad sanguinẽ purificationis, melius loquente quàm sanguis Abel*, Heb. 12. 24. *Secundũ purificationẽ sanguinis Jesu Christi*, 1 Pet. 1. 2. *Sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato*, 1 Joh. 1. 7. *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. 1. 5. Qualitas autem altera mortis ignominiosæ notatur tum ipsâ *crucis* voce (ipsi enim isti supplicio inest maxima ignominia, unde dictũ est, *Pertulit crucẽ, spretâ ignominiâ*, Heb. 12. 2.) tũ voce *contemptus*, quã usurpat *Esa.* 53. 3. Notetur hîc obiter non tantum locis nunc allegatis, aliisq; similibus,

milibus, qui de remissione peccatorum aut solùm aut potissimùm agunt, mentionẽ fieri mortis, crucis, sanguinis; sed passim profiteri Apostolos, se nihil nôsse, nihil docere nisi Christũ, & quidẽ crucifixũ, 1 *Cor.* 1. 23. & 2. 2. Ideoque ipsum Evangeliũ ab ipsis vocari sermonẽ crucis, 1 *Cor.* 1. 18. Adde jã quod Christus sanctissimũ Cœnæ suæ ritũ instituit non propriè ad vitæ aut resurrectionis, sed mortis fusiq; sanguinis memoriam, 1 *Cor.* 11. 26. Quæ toties repetita manifestè ostendunt propriũ aliquẽ ac peculiarẽ effectum huic morti & sanguini tribuendũ, quod *Socinus* facere nõ potest. Nã exemplũ sanctimoniæ tota vita Christi præbuit, magis quàm mors ipsa, quæ brevi momento peracta est. Confirmatio autẽ promissionis de vitâ cœlesti propriè in ipsa Christi resurrectione consistit: ad quam mors solã viæ habet rationem: ita ut huc respiciens Scriptura resurrectionis mentionẽ facere debuerit: non mortis: certè nõ toties & adjunctis notis ἐμφάσεως. *Socinus* ipse, *l.* 1. *c.* 3. laborans, ut ostendat viã salutis sanguinis effusione confirmatã, cùm verã sustulisset, quam nos defendimus, nullã aliã

pro-

probabilem ejus confirmationis cauſam ſubſtituere potuit; neque ullum verum adferre diſcrimen, cur id Chriſti ſolius, non etiã Martyrum aliorum morti tribui debeat. Neq; vero unquã explicare *Socinus* poterit, quomodo Chriſtus ſanguine ſuo fuſo Deum nobis devinxerit (quod aliquo modo verum ipſe concedit) ſi Deus ob fuſionem ſanguinis nihil promiſit.

Cap. 3. lib. 1.

Forma eſt pœnarũ pro peccatis noſtris perſolutio: quod diſtricte negat *Socinus*. Quare hoc ipsũ breviter probabimus. *Hebræi* ut ſignificẽt id quod *Latini* dicunt pœnas pendere, nullam habent phraſin magis receptam quã hanc, *ferre peccatũ*, cui ſimilis eſt *Latinorũ* locutio, *luere delicta*, hoc eſt, delictorũ ſupplicia. *Si quis blaſphemũ non indicaverit, feret peccatũ ipſius*, Levit. 5. 1. *Qui nuditatem ſororis ſuæ retexit, peccatum ſuũ ferto*, Lev. 20. 17. Sic expiatoriæ victimæ dicuntur portare iniquitates offerentium, *Lev.* 10. 17. quia ſanguis ipſarũ eſt pro anima humana, *Lev.* 17. 1. Neq; tantum conjunctĩ, ſed & ſeparatĩ iſtæ voces inveniuntur ſenſu eodẽ. Sic βαστάζειν τὸ ξύλον dicitur, Gal. 5. 10. *Ferre ob peccata*,

Lib. 3. cap. 9. & lib. 2. cap. 4.

cata, Ezek. 18.20. Et ſupervenire alicui peccatũ, id eſt, pœna peccati, 2 *Reg.* 7.9. Eadem plane phraſi dixit *Petrus* Chriſtũ peccata noſtra ſursũ tuliſſe in corpore ſuo in lignũ, 1 *Pet.* 2.24. Poterat dixiſſe ἤνεγκε, ſed quia ſimul ſignificare voluit aſcensum in crucẽ, dixit ἀνήνεγκε; hoc eſt, tulit ſursũ eundo: quod de dicta phraſi nihil imminuit, ſed ei addit aliquid. Itaq; *Syrus* trãſtulit: *portavit, & aſcẽdere fecit. Socinus* ut vim hujus loci enervet, primo ait ἀνήνεγκε ſignificare *abſtulit*: ſed contra naturã uſumq; vocis. Nam nec particula ἀνὰ eam patitur interpretationẽ, nec quiſquam *Græcus* Scriptor ita uſus eſt ea voce. In Novo quoq; Teſtamento nuſquã occurrit eo ſignificatu; ſed aut ſurſu ferre ſignificat, *Luc.* 24.51. aut ſurſum ducere, *Mat.* 17.1. *Mar.* 9.2. Et quia victimæ in locum ſuperiorẽ, hoc eſt, in arã adferebantur, ideo illæ quoquedicuntur ἀναφέρεσθαι, *Heb.* 7.27. *Jac.* 2.21. unde & Chriſtus ipſe dicitur ſe ἀνενέγκαι, *Heb.* 7.27. & nos laudis ſive ſpirituala ſacrificia ἀναφέρειν dicimur: *Heb.* 13.15. & 1 *Pet.* 2.24. Unũ duntaxat locũ citat *Socinus*, *Heb.* 9.28. ubi vult ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, nihil aliud eſſe quã auferre: *Lib* 2. *cap.* 6.

auferre; sed immeritò, & citra exemplũ, & non id exigente loci sententiâ. Nam opponuntur inter se duo Christi adventus: prior, quo peccata nostra tulerit; alter, quo venturus sit χωρὶς ἁμαρτίας, hoc est, non gravatus, nõ oneratus ullis peccatis, sed ab iis solutus & immunis. Non sunt autẽ ista ἀνάσχεσθαι, esse χωρὶς ἁμαρτίας, & peccata auferre, sed esse χωρὶς ἁμαρτίας, & peccatis oneratũ esse. Unde apparet illo quoq; ad *Hebræos* loco ἀνενεγκεῖν esse aut sursũ ferre, in crucem scilicet, ut in loco *Petri* (idque appositè, quia hîc quoq; ad sacrificia alluditur: crux autẽ fuit velut ara) aut simpliciter perpeti, ut apud *Thucydidem* κινδύνους ἀναφέρειν. Est ergo ἀναφέρειν ferre, non auferre: quod ipse *Petri* contextus evincit. Agitur enim non de quovis Christi beneficio, sed de summâ ejus patientiâ, quæ nõ auferendo sed ferendo ostẽditur. Quod addit *Socinus*, cum hoc sensu, quo Christus dicatur tulisse peccata nostra, nõ satis rectè cohærere quod sequitur, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, sine ulla causa dicitur. Manifeste enim indicat *Petrus*, Christũ ita tulisse peccata nostra, ut nos simul à pœna liberaret: unde

de addit statim; *Ipsius vibice sanati estis.* Optime autem hæc cohærent; si Christus tam dura subiit, ut peccatorum veniam consequeremini, sane eam adepti per fidem, à peccatis cavere debetis in posterum. *Dedit nobis Deus, ut, liberati ex manu inimicorum nostrorum, ipsi serviamus in omni sanctitate & justitia*, Luc. 1. 74. *Ecce sanus factus es, ne pecces posthac*, Joh. 5. 14. *Pretio empti estis: glorificate ergo Deum in corpore vestro:* 1 Cor. 7. 20. Nec aliud agit *Paulus*, cap. 7. & sequentibus ad *Romanos*, quam ut ostendat, summis Dei & Christi beneficiis excitari nos debere, ut sancte vivamus. Affinis *Petri* loco (imo quo proculdubio *Petrus* respexit, ut ex verbis quoq; sequentibus, *vibice ejus sanati sumus*, apparet) est apud *Esai.* 53. 11. *Justificabit Servus meus justus multos, & iniquitates ipsorum bajulabit.* In *Heb. est* ועונתם הוא סבל: vox autem עון iniquitatem significat: atq; etiam iniquitatis pœnam, ut 2 *Reg.* 7. 9. Vox autem סבל est sustinere, bajulare, quoties autē bajulare ponitur cum nomine peccati, aut iniquitatis, id in omni lingua, & maxime in *Hebraismo* significat pœnas ferre. Nam נשא quidem interdū signifi-

cat auferre: נשא autem nunquam. Diserte ergo hic dicitur Christus laturus pœnas eorum qui justificantur. Hæc phrasis nullam aliam interpretationem recipit. Neque obstat, quod hæc portatio iniquitatis apud Prophetam videtur post mortem poni: est enim revera morte posterior, non tempore, sed ordine, ut effectus causa simul existente. Quod vero, ait *Socinus*, hanc quoq; vocem נשא peccato adjunctam nō semper includere imputationem aliquam, sed satis esse si designet affligi quempiam occasione qualicunque facti alieni, id nullo exemplo probat, neque unquam sacra Scriptura ita loquitur. Imo *Græci* etiã *Latiniq*; Autores, cum ea phrasi utuntur, semper imputationem includunt. Citat firmandæ huic exceptioni *Socinus Jeremiæ* locum, qui sic habet: *Patres nostri peccaverunt, & non superſunt; nos vero pœnas eorum ferimus*: neque hic patitur ullam imputationem intelligi. At quo argumento probat aliud hic significare eam phrasin, quã aliis omnibus in locis, ubi extat? Fateri cogitur ipse *Socinus*, quoties filii patrum sequuntur vestigia, non propria tantum sed & paterna peccata ipsis imputari. Est enim manifesta

Dei

Dei vox, *Exod.* 20. 5. Eos autem de quibus agit *Jeremias*, parentibus suis fuisse similes, ostendit id, quod apud Prophetã sequitur, *Væ nobis quia peccavimus*, vers. 16. Neque vero hoc alienum est ab *Jeremiæ* instituto. Ut enim eorum qui tum vivebant miseriam exaggeret, ait in ipsos redundare & propriorum & avitorum scelerum pœnas: eoq; multo meliorem ipsorum sorte fuisse parentũ sortem, qui pariter rei ante tamen exempti essent vitæ, quam ista acerbissima supplicia velut in iræ divinæ thesauro coacervata tandẽ simul effunderentur. Etiamsi vero ambigua esset harum vocum, *ferre peccata*, in sacris literis significatio, tamen tum hoc *Esaiæ*, tum isto *Petri* loco certam faceret interpretationem adjuncta mentio perpessionum Christi & liberationis nostræ. Peccata enim ferre patiendo, atque ita ut inde liberentur alii, aliud indicare non potest, quam pœnæ alienæ susceptionem. Apud eundem *Esaiam*, *vers.* 6. & 7. est; *Deus conjecit sive impegit in eum pœnã omnium nostrũm. Exigitur, & ipse affligitur.* Hic nullum non lapidem movet *Socinus*, ut sensum genuinum verbis extorqueat; novamque interpretationem *Lib. 2. cap. 50.*

comminiſcitur: *Deus occurrit per ipſum* (vel cum ipſo) *iniquitati omnium noſtrûm.* Sed reclamat aperte vox *Hebræa* ויפגע ejus conjugationis quæ non unicam, ſed duplicem actionem ſignificat. Quare cum פגע proprie ſignificet occurrere, ſequitur ut ויפגע ſit, fecit occurrere & per metaphoram deprecatus eſt: quia deprecator preces ſuas quaſi interponit. Deprecari hic locum non habet. Nam tum diceretur Deus pro Chriſto eſſe deprecatus: ea enim eſt hujus vocis ſequente ב particula ſignificatio: *Ier.* 15. 11. Neque fecit deprecari hîc convenit, tum quia ſequitur ו, quod eſt, *in illum*, cum alioqui dici debuiſſet, *fecit illum deprecari*, tum quia omnia, quæ proxime antecedunt & ſequuntur, ad afflictionē, non ad deprecationem pertinent. Non ferunt ergo verba hæc ſenſum alium quam hunc: fecit Deus illi occurrere, hoc eſt, impegit, incuſſit in illum peccatum omnium noſtrûm. *Exigitur peccatum* (hoc eſt, ſecundum phraſin Scripturæ pœna peccati) *& ipſe affligitur.* Objicit hîc nobis *Socinus* locum *Levit.* 16. 21. & 22. ubi dicuntur peccata imponi hirco expiatorio, & ipſe hircus ferre peccata populi in vaſtam ſolitudinē. Arbitratur

bitratur autem nihil esse manifestius, quam non posse ullo modo dici hunc hircum pœnas pro populi peccatis pertulisse: quod quo jure sibi sumat non video. Nã pœna sane generaliter sumpta, etiam in bestias cadit. *Sanguinem omnium animarum vestrarum reposcam: ab omni bestia reposcam illum*, Gen. 9. 5. *Cum cornu ferierit bos aliquis virum aut mulierem ita ut moriatur, omnino lapidator bos ille*, Ex. 21. 28. *Si quis cubuerit eum jumento, omnino morte afficitor; jumentũ quoq; ipsum occidite te*, Lev. 20. 15. *Maledicta fuit diluvio terra propter hominẽ*, Gen. 8. 21. *Creatura subjecta est vanitati*, Rom. 8. 20. Nec est quod objiciat *Socinus*, [illegible] hunc hircum interimi non solitum: ad peccatorum autem remissionem fusionem sanguinis, sive mortem requiri. Nam hunc ipsum hircum de loco sublimi præcipitatum in deserto atq; ita neci datũ, etsi Scriptura diserte nõ prodit, *Hebræi* Interpretes consentiunt, quod ut nõ esset, quid tamen aliud illa in vastam solitudinem abactio, quàm mortem minime naturalem, aut ex fame, aut ex ferarum laniatibus minabatur? Notanda quoque est apud *Esaiam* vox [illegible]. Certissimum

enim eſt שין (*Schin* punctum habente in cornu ſiniſtro) proprie ſignificare, *exigere*, ut apparet 2 *Reg.*23.35. *Zachar.*9.8. Metaphorice autem ſumi pro *opprimere*. Paſſivum ergo שין eſt aut *opprimitur* aut *exigitur*. Opprimitur hic locum non habet, quia ſequitur in eodem commate עני, & ipſe affligitur: unde apparet hoc verbum referri ad aliud nomen, quam ad illud cui aptatur vox *affligitur*. Nullus enim erit ſenſus, ſi quis de eodem dicat: opprimitur & ipſe affligitur. Reſtat ergo ut vox illa proprie ſumatur, ut ſignificet, *exigitur*, & referatur ad nomen proxime antecedens, quod eſt peccatum. Exigere autem peccatum nihil aliud eſt, aut eſſe poteſt, quam exigere pœnam peccati. Cohærent ergo exactio pœnæ & Chriſti afflictio.

Præceſſerat apud eundem Prophetam, *Caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & livore ejus ſit curatio nobis*. In *Hebræo* caſtigatio dicitur מוסר, quæ vox afflictionem non qualemcunque ſignificat, ſed eã quæ pœnæ habeat rationem, ſive ſit παιδευτικὴ, ſive κολαστικὴ tantum, quibus vocabulis commode pœnarum genera olim diſtinxit *Taurus* Philoſophus.

phus. Atque inde factum, ut quælibet νουθεσία voce מוסר, per καταχρησιν significaretur. Cum vero νουθεσίας significatio in Christo locum non habeat, præsertim cum de afflictionibus agatur mortē includentibus; restat afflictionem intelligamus, quæ conjunctum habeat παράδειγμα. Nam ab omni culpæ respectu sepositum vocis istius *Hebrææ* usum non est reperire. Verum est pacis nomine apud *Hebræos* bonum qualecunq; significari: sed hic si ex subjecta materia intelligamus bonum impunitatis, apparebit inter se optime opponi punitionem Christi & impunitatem nostram: quanquam nihil vetat pacis nomine reconciliationē intelligi, etiam nulla facta inimicitiæ mentione, quam præcessisse res ipsa & sequentia Prophetæ verba satis indicant. Nam nec inimicitiæ mentionem fecerunt Angeli, cum pacem super terram promulgarunt venturam, *Luc.* 2. 14. nec Apostolus, cum pacem nos dixit habere apud Deum. *Rom.* 5. 1. Sicut autem peccatum pro pœna usurpant *Hebræi*, ut præter cætera loca nunc allegata apparet, *Zachar.* 14. 19. & *Gen.* 4. 13. ita & eum qui pœnam luit, peccatum iidem vocant, ut & *Latini* piaculum

tum pro crimine sumunt, tum pro eo qui criminis pœnas pendit. Unde est quod hostiam piacularem pro peccato peccatum vocet Scriptura *Levit.* 4. 29. & 5. 6. Hanc ergo loquendi formulam sequens *Esaias* de Christo dixit, נפשו שם חטאת : *posuit peccatum animam suam*: hoc est, animam suam fecit peccatorum pœnæ obnoxiam. Nec aliter *Paulus: Eum, qui peccatū non noverat Deus peccatum fecit, ut nos simus Dei justitia in ipso*, 2 Cor. 5. 21. Apparet apud *Paulum* in utroque membro adjunctum sumi pro subjecto. *Socinus* ut *Paulini* loci autoritatem eludat, per vocem *peccatum* vult intelligi hominem pro peccatore ab hominibus habitum: primum sine exemplo; nusquam enim vox *Hebræa* aut *Græca* sic accipitur: deinde *Paulus* Deo hanc actionem tribuit, quod Christum peccatum fecerit. At vero quod Christum *Judæi* & alii pro facinoroso & malefico habuerunt, ejus rei nullo modo autor est Deus: Imo contra voce cœlesti, editisque miraculis hoc egit, ut omnibus testatam faceret Christi innocentiam. Deinde, ista nova *Socini* interpretatio verbis *Esaiæ*, quæ similem phrasin continent, aptari nullo

Lib. 1. *cap.* 8.

modo

modo potest. Quod enim *Paulo* dicitur fecisse Deus, hoc *Esaias* Christo tribuit, quod nimirum animam suam posuerit peccatum; sive quod se peccatum fecerit. Præterea opponit *Paulus* peccatum & justitiam. Nos facti sumus justitia Dei, hoc est, nos sumus justificati, sive à pœna divina liberati, Christus vero ut id fieret factus est peccatum, id est, pœnam divinam tulit. Notanda in iisdē *Pauli* verbis altera quoque ἀντίθεσις: *Eum qui peccatum non noverat*, hoc est, qui pœnam non merebatur, *Deus peccatū fecit*, hoc est, pœnas ferre voluit. Christus innocens fuit non humanæ tantum, sed & divinæ legi. Requirit ergo vis oppositionis, ut pœnas tulerit legis etiam divinæ. Præterea innocentes à malis male haberi quotidianum est: At hîc eximium aliquid notat Apostolus. Hoc autem quid esse potest aliud quam quod Deus incommerito pœnam infixerit?

Non multū dissimilis est prioribus ille *Pauli* ad *Galat.* locus, 3. 13. *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim, Maledictus qui pendet in ligno: ut ad Gentes perveniret benedictio Abrahami in*

Christo Jesu. Hic eo minus laborare nos necesse est quid voluerit *Paulus*, cum Christum dicit esse factum κατάραν, hoc est, maledictum, sive execrationē, quando ipse semet interpretatur, & *Mosen* dicti sui autorem allegans ostendit per κατάραν se intelligere ἐπικατάρατον: Ἐπικατάρατος autē, ipso *Paulo* interprete, est is qui est ὑπὸ κατάραν. Execratio, inquit *Socinus*, hoc loco ipsam execrationis pœnam significat: quod verum est. Nam κατάρα passim pœnam ex legis sanctione proficiscentem significat: 2 *Pet.* 2. 14. *Matth.* 25. 41. Et hic addita legis mentio vetat maledictum aliter accipi. Hanc autem κατάραν, in Christo fuisse ipsam crucem fatetur idem *Socinus*. Crux ergo Christi pœnæ rationem habuit: & hoc est quod nos dicimus. Concedet forte *Socinus* crucem pœnam fuisse, quia Christo à *Pilato* Judice per modum pœnæ irrogata est. Sed hoc sententiæ *Pauli* non satisfacit. Ut enim probet Christum factum fuisse pœnæ obnoxiū, *Mosen* citat apertè dicentem, eos qui suspenduntur (secundum legem divinam scilicet) esse ἐπικατάρατους τοῦ Θεοῦ: quare & in *Paulo Mosen* citante, & ad Christum referente hæc verba vox eadem

Lib. 2. cap. 1.

sup-

supplenda est: quasi dixerit, Christum factum τῷ Θεῷ ἐπικατάρατον: hoc est, pœnæ à Deo irrogatæ & quidem ignominiosissimæ obnoxium. Nam Apostoli cum passionem Christi ad usus nostros referunt, non in ea respiciunt hominum facta, sed factum ipsius Dei: ut ex multis locis ante allegatis liquet.

His omnibus addi & illud potest, mortem ipsam, hoc est, destructionem ejus personæ quam corpus & animus constituunt, quatenus à Deo infligitur, semper aliquam habere pœnæ rationem: non quod Deo jus non sit eam aliter homini infligere (est enim Dominus creaturæ) sed quod ipsius bonitati aliter visum fuerit. Ut recte intelligatur hujus peculiaris controversiæ status: non negamus hominem, cum conditus est, fuisse χοϊκὸν, cui adfuerit vis quædam vitalis, non autem vis vivifica, ut nos *Paulus* docet 1. *Cor.* 15. 45, 46. ac proinde eam fuisse corporis conditionem, ut Deo non sustentante interitura fuerit: attamen ex divino decreto non fuisse eum moriturum, si in innocentia perstitisset, contendimus. Evincit hoc ipsa creaturæ istius nobilitas atque eminentia, ut quæ sola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc est, mente

Contra Soc. l. 3. c. 7, 8, 9.

mente libereque arbitrio prædita, quod fundamentū est dominationis ipsius in cæteras creaturas. Non potest enim rerum aliarum esse dominus, qui suarum actionum Dominus non sit. Hæc igitur excellentia supra res cæteras argumento est, plus aliquid quam temporarium usum in hominis creatione spectatum. Jam vero illa divina voce quid clarius, *Si comederis, morieris*? De actu mortis hîc agitur, sive illa violenta esset futura, sive citra violentiam. Ipsum ergo mori non erat eventurum homini, nisi peccati conditio extitisset. Non minus clarum & generale *Pauli* illud, *Stipendium*, id est, pœna *peccati*, *mors*, Rom. 6. 23. Ante dixerat, *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervasit. Omnes*, inquit, *homines*: Agit ergo de communi totius humanitatis exitu. *Per hominem* ergo, id est, ex facto humano *mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. Sicut in Adam *omnes moriuntur* (quotquot moriuntur) *ita & in Christo omnes vivificabuntur* (quotquot vivificabuntur) 1 *Cor.* 15. 21, 22. Quis vel ipsa verba legens non videat hanc sententiā ad *Corinthios* isti ad *Romanos* respondere ad amussim? Agitur ergo de morte, quæ com-

communio est *Adami* posteris, & ex qua resurgunt qui resurgunt. Quare & collato hoc loco cũ illo ad *Romanos*, agi hîc de *Adamo* peccatore dicimus. Quod enim hic dixit *Per hominẽ*, ibi dixit *per peccatũ*. Animalis *Adami* conditio viginti & ultra post versibus ab Apostolo attingitur, alia plane occasione: hic enim mors resurrectioni opponitur: ibi vero qualitates primitus creati, ac deinde resuscitati corporis inter se conferuntur: quorum illud habuit cum naturali moriendi possibilitate conjunctã ex divino beneficio vivendi quoq; possibilitatem: hoc vero vitã ita in se habebit, ut nulla ei adsit naturalis moriendi possibilitas. Omittere non possum, quin hic addam locum insignẽ præstantissimi Scriptoris libri *Sapientiæ*, qui etsi in *Hebræo* Canone non est, venerandam tamen habet antiquitatẽ, & apud Christianos semper in pretio est habitus. Ita ergo ille: ὁ θεὸς ἔκτισεν ἐν ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. ἐν χειρὶ δὲ βασιλείου ἐστὶν ἡ ψυχὴ τῶν δικαίων, καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος θανάτου. δόξαν δὲ ἀφθαρσίας ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων ἔδοξαν τεθνάναι, καὶ ἐλογίσθη κάκωσις ἡ ἔξοδος αὐτῶν, καὶ ἡ ἀπ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα, οἱ δὲ εἰσὶν ἐν εἰρήνῃ. καὶ γὰρ ἐὰν ἐνώπιον ἀνθρώπων κολασθῶσιν, ἡ ἐλπὶς αὐτῶν ἀθανασίας πλήρης ἐστίν. ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, ὅτι ὁ θεὸς ἐπείρασεν αὐτοὺς καὶ εὗρεν αὐτοὺς ἀξίους ἑαυτοῦ. ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτοὺς, καὶ ὡς θυσίαν ὁλοκαυτώσεως προσεδέξατο αὐτούς. καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς ἀναλάμψουσι, καὶ ὡς σπινθῆρες ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται. κρινοῦσιν ἔθνη, καὶ κρατήσουσι λαῶν, καὶ βασιλεύσει κύριος αὐτῶν εἰς τοὺς αἰῶνας. οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτῷ συνήσουσιν ἀλήθειαν, καὶ οἱ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ προσμενοῦσιν αὐτῷ, ὅτι χάρις καὶ ἔλεος τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ ἐστιν. Deus creavit hominem in incorruptione, & imaginem propriæ æternitatis fecit illum. invidia autem diaboli mors introivit in mundum, tentant autem illum qui ex parte illius sunt. animæ autem justorum in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis. visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod a nobis abierunt, interitus: illi autem sunt in pace. nam etsi coram hominibus torquebuntur, spes eorum immortalitate plena est. in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. tanquam aurum in fornace probavit illos, & tanquam holocausti victimam accepit illos. & in tempore visitationis suæ refulgebunt, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. judicabunt gentes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in sæcula. qui confidunt in illo intelligent veritatem, & fideles in dilectione permanebunt illi, quia gratia & misericordia electis ejus, & visitatio sanctis ejus est. Hæc ille. Quæ

com

σιν, καὶ συνῆκεν ἑαυτὸ πρὸς αὐτὸν, ὅτι ἄξιός ἐστι τῆς ἐκείνου μερίδος εἶναι, 1.13. Et mox: ὁ Θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. φθόνῳ δὲ διαβόλου θανατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. 2.23. Mortem hic quam Deus dicitur non condidisse, nec velle, voluntate scilicet peccatum antecedente, qualemcunque intelligi ostendit oppositum ἀφθαρσίᾳ, in cujus spem homo dicitur conditus, eaque spes pars fuisse divinæ imaginis, aut certe ejus consequens non obscure indicatur. Ἀφθαρσία autem mortem omnem sive violentam, sive non violentam excludit. Et quod Apostolus dixit, per hominem & per peccatum intrasse mortem, auctor hic non minus vere dixerat, per Diaboli invidiam mortem introiisse. Omnes enim istæ locutiones idem factum notant, primum scilicet hominis peccatum Diabolo suggerente commissum. Nec obstat quod auctor hic specialem quendam mortis effectū circa impios notat: Mors enim ex primo peccato ingressa, & in omnes homines jus adepta, per singulorum peccata gravia & continua vim quandam peculiarem accipit, quo sensu peccatum dicitur

mortis

mortis stimulus, 1 *Cor.* 15.56. Itaq; hi, quibus morte obita omnis ad vitam meliorem aditus præcluditur, merito federati mortis, sive deditii, & peculium mortis appellantur. Facillimum esset demonstratu, si id ageretur, & *Judæorũ* veterum & Christianorum perpetuam hanc fuisse sententiam, mortem qualemcunque hominis, peccati esse pœnam: ut non immerito Christiani Imperatores hoc in *Pelagio* & *Cælestio* dogma præter cætera improbaverint, quod dicerent; mortem non ex insidiis fluxisse peccati, sed exigisse eam penitus legem immutabilis constituti.

Ut ergo quæ hactenus dicta sunt in unum colligamus, cum dicat Scriptura Christum à Deo castigatum, hoc est, punitum esse, tulisse Christum peccata nostra, (id est, pœnas peccatorum) factum esse peccatum, (hoc est, peccatorum pœnæ subditum) factum esse execrationem apud Deum sive execrationi; hoc est, pœnæ legis obnoxium: ipsa autem Christi passio plena cruciatibus, crudeta, ignominiosa, aptissima sit pœnæ materia: cũ præterea dicat Scriptura, hæc ipsa à Deo inflicta ob peccata nostra, (id est, peccatis nostris ita merentibus) cũ ipsa

mors

mors ſtipendium, hoc eſt, pœna peccati dicatur: ſane quin quoad Deum pœnæ rationem habuerit Chriſti paſſio & mors, minime eſt dubitandum: neque audiendæ ſunt *Socini* interpretationes à perpetuo vocum uſu citra exemplum recedentes: præſertim cum nulla obſtet ratio, quo minus recepta verborum ſignificatio retineatur, quod infra planius fiet. Eſt ergo punitio in Deo active, in Chriſto paſſive: cujus tamen paſſioni actio quædam accedit voluntaria, ſcilicet pœnalis paſſionis ſuſceptio.

Finis rei de qua agitur ſecundum Dei & Chriſti intentionem, qui in actu poſitus, effectus etiam dici poteſt, duplex eſt: juſtitiæ nimirum divinæ demonſtratio; & peccatorum remiſſio quoad nos, hoc eſt, impunitas noſtra. Nam ſi ſumas pœnæ exactionem perſonaliter, finis ejus eſt divinæ juſtitiæ demonſtratio: ſi vero perſonaliter, h.e. cur Chriſtus fit punitus, finis eſt, ut nos impunitatem conſequeremur. Finis prior indicatur à *Paulo* cum dicit de Chriſto; *quem Deus conſtituit placamen in ſanguine ipſius ad demonſtrationẽ juſtitiæ ſuæ: propter diſſimulationem peccatorũ præcedentium in tolerantia Dei.* Deinde addit verbis

bis prope iisdem repetitis: *ad demonstrationē justitiæ suæ hoc tēpore, ut sit ipse justificans eū qui est ex fide Jesu*, Rom. 3. 25, 26. Hic proxime sanguini, id est, cruentæ morti connectitur finis εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Justitiæ Dei vocabulo non ea intelligenda est justitia, quā in nobis Deus operatur, aut quā nobis imputat, sed ea quæ in Deo est: sequitur enim; *ut sit ipse justus*, id est, ut justus esse appareat. Justitia hæc Dei, id est, rectitudo, pro diversis objectis diversos habet effectus. Circa bene aut male facta creaturæ effectus ejus inter cæteros est ἀνταπόδοσις: quo respiciens *Paulus* dixit δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσι θλῖψιν, hoc est, *affligentibus afflictionē retribuere*. Et alibi: *Omnis transgressio & inobedientia accipit* ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Et illud, οὐκ τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐστι, Rom. 3. 8. *Syrus* transtulit, *quorū condemnatio justitiæ reservatur*. Itaq; idē est ἡμέρα ὀργῆς & ἡμέρα δικαιοκρισίας, Rom. 2. 5. Et extremum judicium dicitur futurum ἐν δικαιοσύνῃ, Act. 17. 31. Et alibi ἐν δικαιοσύνῃ κρίνειν, est severe vindicare, quod ostenditur addita voce *pugnare*, multoque magis iis, quæ paulo post sequuntur: *Ex ore ejus prodibit gladius*

Contra Socini cap. 1. l. 1. §. Dico igitur.

gladius acutus ut percutiat Gentes; ipse enim reget eas in virga ferrea; & ipse est qui calcabit lacum vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis: Apoc. 19. 11. & 15. Sic & Deus justus & judicia ejus justa dicuntur ideo quod in peccata severe animadvertit, *Apoc.* 16. 5. 7. Unde & Δίκη vocatur tum illa ipsa justitia Dei puniens, *Act.* 28. 4. tum pœna per eam illata 2 *Thess.* 1. 9 *Jud.* 7. Et δικαίωμα τοῦ Θεοῦ explicatur à *Paulo* hoc esse, quod qui mala cõmittunt aut approbant digni sunt morte, *Rom.* 1. 32. His πρόνομοι sunt ἔκδικος punitor, *Rom.* 13. 4. 1 *Thess.* 4. 6. Et ἐκδίκησις pœnæ exactio, *Luc.* 21. 22. 2 *Thess.* 1. 8. 1 *Pet.* 2. 14. cujus vis explicatur verbo ἀπόστολος, *Rom.* 12, 19. *Heb.* 10. 30. Scimus justitiæ nomine sæpe veracitatem, sæpe etiam ἐπιείκεια significari: sed cum ea voce, ut multis jam testimoniis ostensum est, etiam illa Dei proprietas indicetur, quæ Deum movet ad peccata punienda, & quæ in ipsa peccatorum punitione demonstratur, dicimus hanc significationem hujus esse loci propriam. Opponuntur enim diversa tempora, nempe ante Christum, & Christi tempus: priori tempori tribuitur πάρεσις pec-

peccatorum, quæ etiam explicatur voce ἀνοχῆς. Πάρεσις non remissionem, sed transmissionem significat, cui recte additur ἀνοχὴ, sustentatio, qua voce inducias etiam *Græci* appellant, quod per eas ad tempus inhibeatur bellum. Huic transmisionи atq; inhibitioni opponitur demonstratio talis justitiæ, qua Deus sit justus, id est, justus appareat. Olim cum Deus pleraque peccata impunita transmitteret, non satis apparebat ipsius τὸ ἀνταποδοτικόν. Tandem ergo ostendit quam justus esset ἀνταποδότης, cum filium suum voluit hoc nomine sanguinem fundere, ut placamen fieret humani generis, redimeretque omnes eos, qui unquam credidissent aut essent in Deum credituri. Ita simul conjunxit Apostolus gratiæ, id est, bonitatis divinæ quæ in creaturas fertur, & justitiæ illius, quæ recti ordinis atque etiam ἀνταποδότης custos est, apertam demonstrationem. Sane ipsa vox sanguinis, vox placaminis, atque etiam redemptionis ostendunt nō de sola bonitatis testatione hic agi. Conjunxit etiam impetrationem cum applicatione: impetratio est per sanguinem, applicatio per fidem: rectеque dicitur illa ipsa, de qua agimus, Dei justitia

ſtitia manifeſta fieri per fidem : illam nimirum, qua Chriſti ſanguis ad Deum placandũ fuſus creditur: quæ fides omnẽ operum gloriationem, omnem in Lege fiduciam penitus excludit. Finis hic, nempe divinæ juſtitiæ demonſtratio ex forma quoque rei de qua agimus recte colligitur. Pœnæ enim finis eſt demonſtratio juſtitiæ ἀντιμισθικῆς circa peccata : item ex cauſſa antecedente, quam ſupra oſtendimus eſſe meritoriam. Non poteſt autem alicujus actionis cauſſa impellens eſſe meritoria, niſi & finis ſit τὸ ἀντιμισθικόν.

Finis alter, ut diximus, eſt noſtra impunitas. Hoc ſignificanter dixit *Paulus*, δικαιωθέντες οὖν νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. Rom. 5. 10. Nam ὀργὴ, ira Dei, ut & *Socinus* agnoſcit, ſignificat interdum affectum (ſi ita loquendum eſt) puniendi, *Ioh.* 3. 36. *Rom.* 1. 18. Sæpe vero pœnam ipſam, *Mic.* 7. 9. unde & ἀπωλεία, id eſt, exitii voce explicatur : *Rom.* 9. 22. Hinc Lex dicitur ὀργὴν operari, hoc eſt, pœnam parere, *Rom.* 4. 15. hinc ἐπιφέρειν ὀργὴν eſt punire, *Rom.* 3. 5. & Magiſtratus dicitur vindex in maleficos conſtitutus εἰς ὀργὴν, id eſt, ad pœnam infligendam, *Rom.* 13. 4. ciq; parendum non

Lib. 1. cap. 1.

non ſolum διὰ τὸν ὀργὴν, hoc eſt, pœnæ formidine, ſed & propter conſcientiã. Impunitas autem pœnæ opponitur. Pœna eſt mors æterna, ſive detentio ſub morte, cujus ſatelles diabolus: qui propterea mortis habens poteſtatem, per mortem (Chriſti) deſtructus dicitur, *Heb.* 2.14. Nã de veniæ potius impetratione hic agi, quã de peccati mortificatione, oſtendit quæ ſequitur mentio liberationis à mortis metu. Et Chriſtus dicitur, ὁ ῥυόμενος ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης *ab ira futura*, 1 Theſſ. 1.10. Hæc ipſa impunitas receptiſſima phraſi ſacræ Scripturæ vocatur peccatorũ remiſſio, quæ proprie mortem Chriſti conſequitur, ut multi loci oſtendunt: quales ſunt hi; *Hic eſt ſanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionẽ peccatorũ*, Mat. 26.28. *Habemus in ipſo redemptionẽ per ſanguinẽ ipſius remiſſionem peccatorũ*, Eph. 1.7. & Col. 1.14. *Sine ſanguinis effuſione nõ fit remiſſio*, Heb. 9.22. Qui loci explicant illũ *Pauli* ſupra citatũ; *Iuſtificati gratis ipſius gratia per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Jeſu; quẽ propoſuit Deus placamẽ per fidẽ in ſanguine ipſius, ad demonſtrationẽ juſtitiæ ſuæ, propter diſſimulationẽ peccatorum*

catorum antecedentiũ intolerantia Dei ad demonstrationem justitiæ suæ, ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu: ubi multis verbis idem significantibus res easdem exposuit, *Rom.*3. 23,24,25,26. Nam sicut demõstrationem justitiæ suæ bis expressit, & tertio addidit, *ut sit Deus justus* (id est, ut justus appareat) quæ pertinent ad finem priorem: ita alterum quoque finem tum repetita voce justificationis, tum redemptionis indicavit. Justificatio, ut notum est, passim in sacris literis, sed maxime in epistolis *Paulinis* absolutionem significat, quæ præsuppositio peccato consistit in peccatorum remissione, ipso *Paulo* semet clare explicante, præsertim *Rom.*4.2. & 6. Quare his locis remissionem peccatorum sanguini Jesu adscribentibus adjungendus ille, quem modo citabamus, *Justificati in sanguine ipsius*, Rom.5.9. Item hi, qui ablutionem peccatorum sanguini aut morti tribuunt. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato*, 1 Johan.1.7. *In purgationem sanguinis Jesu Christi*: 1 Pet. 1.2. *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc.1.5. Quanquam enim abluere, mundare, & voces

similes

similes significare possint aut efficere ne peccata committantur in posterum, aut commissa ne appareant, posterior tamen interpretatio Scripturæ phrasi est convenientior. Sic delere iniquitates exponitur peccatorum non recordari, *Esai.* 43.25. & mundare ab iniquitate idem esse ostenditur quod condonare, *Jerem.* 33.8. Et ἐξαλειφθῆναι τὰς ἁμαρτίας manifeste eundem habet sensum, *Act.* 3.19. Planeq; pro eodem sumuntur ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας peccata remittere, & καθαρίζειν ἀπὸ πάσης ἀδικίας, mundare ab omni iniquitate, 1 *Joh.* 1.9. Et alibi ponuntur ut συνώνυμα, τὸ καθαρίζεσθαι, id est, mundari & γίνεσθαι ἄφεσιν, remissionem contingere: *Heb.* 9.22. Quare & *Socinus* fateri cogitur, apud *Iohannem Apocalypseos cap.* 1. *vers.* 5. ubi τῷ καθαρίσαντι tribuitur sanguini, rectius liberationem à pœna quã animi emundationem intelligi. His adjungatur illud *Esaiæ* modo citatum: *Castigatio pacis nostræ super eũ*, id est, pœna ejus nobis pacem apud Deum parit. De qua pace agunt Angeli, *Luc.* 2.14. Et illud ejusdem *Esaiæ*: *Livore ejus sanitas nobis*; id est, per pœnam ejus impunitas nobis. Ex his ergo testimoniis manifestum est impunitatem peccatorum

Lib. 2. *cap.* 17.

nostro-

noſtrorum finem eſſe mortis Chriſti, atque etiam ejuſdem mortis effectum.

Socinus qui hanc connexionem mortis cum remiſſione peccatorum nobis facta non vult agnoſcere, alias adfert, minus quam alienas à vocibus & ſcopo Scripturæ. Videntur autem omnes iſtæ, quas paſſim libro ſuo inſperſit, reduci poſſe ad quatuor hæc capita. Primum eſt, quod Chriſtus, cum prædicaſſet pœnitentibus patere peccatorum remiſſionem, ad ei prædicationi teſtimonium perhibendum, mortem non recuſaverit. Sed hic ſenſus mortem Chriſti magis effectum facit remiſſionis, quam remiſſionē mortis. Nam rei exiſtentia cauſſa eſt teſtimonii, non contra. At Scriptura dicit nos remiſſionem conſequi per ſanguinem, *Eph.* 1. 7. *Col.* 1. 14. & ſanguinem delere peccata noſtra, 1 *Ioh.* 1. 7. Item ſanguinis effuſionem eſſe aliquid antecedens, ſine quo non fiat remiſſio, *Heb.* 9. 22. Deinde ſi vera eſſet hæc interpretatio, poſſent & Martyres dici ſanguinē fudiſſe in remiſſionē peccatorum, & noſ per ipſorum ſanguinē conſequi remiſſionem: cum tamen Scriptura hoc privilegium ſoli Chriſto tribuat. Accedit quod cauſſa interfectionis

Soc. l. 1. c. 2. & 3.

Chriſti

Christi quoad homines non proprie fuerit prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum, sed quod Deum dixisset Patrem suum, parem se faciens Deo, *Ioh.* 5.18. ac proinde Deum se profiteretur, *Ioh.* 10.33. Quamobrem mors ejus proprie huic professioni, non prædicationi veniæ testimonium præbuit. Testatio denique de doctrina non minus, imo magis etiam per miracula Christi facta est, quam per mortem. At miraculis, nusquam tribuitur effectus hic, quod per ipsa habeamus peccatorum remissionem. Secundum quod adfert *Socinus*, est, quod Christus sua morte consecutus sit jus donandæ remissionis. Sed evertit hanc positionem *Socinus* ipse, qui ostendit Christum in terris viventem hoc jus habuisse atque exercuisse. Quod autem meum est, id amplius meum fieri non potest. Ac nequis existimet (quod *Socinus* innuit magis quam affirmat) hanc Christi potestatem ad pœnas duntaxat spectasse temporales & vitæ præsentis, notandum est, cum Christus dicitur jus habuisse remittendi in terra peccata, non illo additamento *in terra* effectum restringi, sed actionis locum ἐμφαντικῶς denotari: nam & Apostolis dicitur,

Soc. l. 1. cap. 6.

Lib. 2. cap. 4.

quæcunque ſolveritis in terra: ubi quanquam ſolvere eſt ſolutum declarare, illud tamen *in terra* locum tantum actionis deſignat: ſequitur enim *ſoluta erunt in cœlo*. Illud ergo voluit Chriſtus, ſibi quantumvis in terris agenti, jus tamen illud adeo eximium ac cœleſte competere: neque aliud miratur populus, quam jus tantum hominibus (hoc eſt, κατ' ἰνθλλαγὴν, uni ex hominum numero) datum. Ipſe etiam Chriſtus prius peccata remittit paralytico, quam paralyſim, pœnam ſcilicet temporalem, tollit; apertéque jus utrumque diſtinguens, alterum per alterum probat, inviſibile per viſibile. Non eſt ergo Chriſtus morte demum ſua jus remittendi peccata conſecutus, ac proinde huc trahi non poſſunt ſententiæ, quæ morti aſcribunt effectum remiſſionis peccatorum. Præterea, Scriptura modum connexionis inter mortem & remiſſionem explicat voce placaminis, aliiſque ſimilibus, quæ ad jus donandæ veniæ aptari nequeunt. Tertium eſt, quod in Chriſti morte exemplum nobis patientiæ & obedientiæ proponitur. Sed exemplum hoc ad ſanctificationem, & quæ eam ſequitur gloriam æternam aliquo modo, ad remiſſionem vero peccatorum

torum plane non pertinet. Christus enim sua obedientia & patientia nullam sibi veniam est consecutus, ut qui peccatum non haberet. Quare ubi Christus imitandus nobis proponitur, ut viam, quam ille ingressus est, insistentes, ad eandem metam perveniamus, nihil esset magis alienum quam remissionis peccatorum ullam mentionem facere. Et phrases Scripturæ, Sanguis nos mundat, Per sanguinem ipsius habemus remissionem, plane hunc sensum respuunt. Restat quartum quod maxime placuit *Socino*. Ita ut hoc ipsum plurimis locis velut caussæ suæ statumen inculcet: Est autem hoc, quod mors Christi nobis id ipsum persuadeat, quod ad remissionem peccatorum obtinendam requiritur, fidem scilicet, sive, ut *Socinus* ipse explicat, spem consequendæ vitæ æternæ. Sed profecto quid magis est à vero alienum, quam mortem innocentissimi hominis tam cruentam per se ad hoc valere, ut nobis persuadeat, sancte viventibus summa gaudia à Deo esse præparata? Quare, hujus commenti absurditatem videns *Socinus*, ait mortem quidem hoc non efficere, sed resurrectionem Christi, & quæ porro resurrectionē ejus sunt con-

Lib. 1. cap. 5. & passim.

ſecuta. Mortem autem debuiſſe præcedere. Sed hoc ſi vellet Scriptura, reſurrectionis aut potius evectionis in cœlos & ſeſſionis ad dextram Dei perpetuo meminiſſet, ubi de remiſſione agitur peccatorum; non mortis & ſanguinis, certe non tam ſæpe, & verbis tam ſignificantibus. Illa enim tam frequens, tam uſitata conjunctio ſanguinis cum remiſſione effectum aliquem non communẽ, ſed proprium, non longe remotum, ſed propinquum indicat. Quæ enim iſtæ ſunt ambages? Remiſſio peccatorum non contingit niſi ſancte viventibus (ita enim loquitur *Socinus:*) ad ſanctimoniam vitæ facit fides & ſpes certa præmii: hanc fidem ingenerat exemplum Chriſti ob vitæ ſanctimoniam (ut vult *Socinus*) à mortuis excitati & glorificati: iſtam excitationem mors anteceſſit: recte ergo aptéque dicitur remiſſio per Chriſti mortem obtineri. Nonne hoc verè eſt, quod ipſe in aliis reprehendit: *Utinam ne in nemore Pelio*? Pro cauſſa enim non propinquum aliquid aut ſaltem modico intervallo remotum, ſed quod longiſſime ab effecto diſſitum eſt, adfertur: quod ſi uno in loco Scripturæ fieret, eſſet forte minus mirum; ſed toties,

Lib. 3. *cap.* 1.

Lib. 2. *cap.* 2.

Lib. 3. *cap.* 8.

toties, tam obscure, imo tam frigide loqui Scripturam, quis sanus crediderit? Multum dissimile est *Pauli* illud, Christum à mortuis excitatum ad nostri justificationem, *Rom.* 4. 25. quod ut explicetur nihil opus est tam longo *Socini* ambitu. Resurrectio enim Christi fidem & fiduciam in Deum & Christum nobis ingenerat: cui fidei promissa est peccatorum remissio. Et hæc series manifeste ostenditur, *Act.* 13. 33. 38. *Rom.* 1. 4. & 10. 9. Mors autem tantum abest ut apta sit fidem ingenerare, ut contra maxime homines ab ea fide absterreat. Ideoq; in prædicãdo Evangelio Apostoli ignominiæ crucis & mortis miseriæ resurrectionẽ semper opponunt. Per mortẽ vero, &, quam plerumq; Scriptura in hoc argumento exprimit, sanguinis effusionem, quæ causa proprie nõ est resurrectionis, sed antecedens duntaxat, ipsam resurrectionem velle indicatam, quid est aliud quam noctẽ nominare, ut per eam intelligatur dies? Præterea, si ad remissionẽ peccatorum mors non pertineret, nisi propter resurrectionem secutam, quomodo accidere potuisset, ut remissio hæc ad resurrectionẽ raro admodum, ad mortem autem innumeris locis

referretur? Adde jam quod morti etiam seorsim, hoc est, qua à resurrectione & gloria Christi abstrahitur, effectum impetratæ redemptionis *Paulus*, tribuit: Ait enim: *Si cũ inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Rom. 5.10. Opponitur mors vitæ glorioſæ, & ut illi reconciliatio, ita huic conservatio distincte ascribitur. Reconciliatio impetratur inimicis per mortem ut actũ sacerdotalem: reconciliati custodiuntur regia virtute, ad quam aditum fecit resurrectio. Sic & alibi reconciliationem ipsa prædicatione, quæ fidem ingenerat, idem Apostolus priorem statuit. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum: & posuit in nobis sermonẽ reconciliationis: itaq; nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo rogãte per nos oramus Christi nomine, reconciliamini Deo,* 2 Cor. 5.19.20. Duplex hic reconciliatio ponitur, prior quæ sermone annunciatur: altera quæ fit per sermonem: illa est impetrationis; hæc applicationis: illa sermone prior; hæc sermone posterior. Nos de priore illa agimus, meritoque negamus

eam

eam referri posse ad fidei ingenerationem quæ fit per sermonem. Accedat illud *Johannis* 3.16. ubi *Christus* dicitur *datus* (in mortem scilicet) *ut credentes non pereant*. Ad aliud ergo prodest, quã ut credant. Et sane si libeat attendere, idem non obscure monstrat is ipse *Pauli* locus, qui à *Socino* citatur firmandæ suæ sententiæ: is nempe de quo jam egimus: *Qui traditus fuit* (in mortem scilicet) *propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Cum peccata sint malum, justificatio bonum, apparet vocem *propter* in utroq; membro non similiter sumi: & in posteriore quidẽ membro finalem caussam notari convenit: in priore significari impulsivam satis, ni fallor, supra ostendimus: plane ut si dicam pharmacum sumi propter morbũ, & propter sanitatem. Justificatio ergo finis est resurrectioni propositus, nempe per ingenerationem fidei, fatente *Socino*. Quanquam equidem nescio, an resurrectio hoc loco spectetur ut argumentum ad persuadendam fidẽ, an potius totum Christi statum gloriosum designet, qui hunc sibi finẽ propositum habet, inter cæteros, ut Evangelii præcones mittantur, & uberrima vi spi-

ritus ipsorum opera promoveatur, eumque in modum effecta fide non ines peccatorum veniam adipiscantur. Ita enim Christus ipse: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Profecti ergo docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. 18, 19, 20. Antea vero, ut *Johannes* ait, *nondum erat Spiritus* (ea nimirum vi ac copia) *effusus*. Caussa additur; *quia Jesus nondum erat adgloriam evectus*, Joh. 7. 39. *Paulus* quoque de Christo: *Cum in sublime ascendisset, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus: dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad compactionem Sanctorum*, Ephes. 4. 8. 12. Utro autem modo sumas, apparet resurrectioni, qua à morte distinguitur, finem aliquem ascribi peculiarem. Vicissim morti sive traditioni in mortem separatim ascribitur, quod ob peccata contigerit. Id autem ipsum & resurrectioni nusquam ascribitur, & hoc loco eidem non obscure adinitur. Mors ergo Christi in hoc negotio, & à resurrectione, & à fidei ingeneratione sequestranda est; &

in

in iis locis quæ ex morte Christi remissionem deducunt peccatorum, distinctus quidam effectus intelligendus est, quem præ se fert ipsa verborum simplicitas, consentiens cum aliis Scripturæ vocibus, quæ Christum ob peccata nostra mortuum cruenta morte, pœnasq; nostrorum criminum ab ipso exactas fuisse pronunciant: de quibus jam egimus: cumque illis quæ Deum nobis per Christi sanguinem placatum ac reconciliatum, sanguinem ejus pretium fuisse pro nobis datum, Christum vice nostra mortuum, & piamen fuisse nostrum non obscure testantur, de quibus infra agendi erit locus.

CAP. II.

Quomodo in hoc negotio Deus considerandus sit: & ostenditur considerandum ut rectorem.

INtellecto controversiæ statu, & firmata Scripturis ea sententia, qua fides Ecclesiæ nititur, ad disjiciendas objectiones, quas *Socino* sua ratio, aut, ut verius loquar, abusus rationis dictavit, inprimis opus est intelligi, quæ partes, sive quod officium sit Dei in hac re, de qua

agitur. Fatetur *Socinus*, agi de liberatione à pœnis; nos addimus insuper agi etiam de pœnarum inflictione. Unde sequitur, omnino hîc Deum considerandum, ut rectorem. Nam pœnas infligere, aut à pœnis aliquem liberare quę punire possis, quod justificare vocat Scriptura, non est nisi rectoris qua talis primo & per se: ut puta in familia patris; in republica regis, in universo Dei. Hoc etsi manifestum est omnibus, probari tamen facile potest ex eo quod pœna sit ultimum in coactione: coactio autem non competat nisi superiori, τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ. Unde *Seneca* clementiam definivit lenitatem superioris adversus inferiorē in constituendis pœnis. Nec obstat quod vindicatio interdū privatis & nulla superiori potestate instructis tribui videtur. Nam ista vindicatio aut facti est, nō juris, quæ pugnat cum ipsa naturali æquitate, aut jus aliquod significat non primo aut per se alicui competens, sed aliena concessione; quomodo raptorem raptæ pater, proscriptum quivis interficit: aut deniq; non significat ipsum puniendi actum, sed postulationem duntaxat pœnæ infligendæ aut à Deo aut ab alio rectore; quibus vindicandi modis totidem

totidem modi respondent peccatorum remissionis sive condonationis, quam privatis sæpe & Scriptura & communis sermo tribuit. Sed hæc assertio eo minus probationis indiget, quia ipse *Socinus* alicubi fatetur Deum in puniendis, absolvendisq; hominibus statuendum esse tanquam Principem: quo nihil verius dici potuit. Nec aliud significavit *Jacobus*, cum dixit, unum esse Legislatorem qui possit servare & perdere, *Jac.* 4. 12. *Lib.* 3. *cap.* 1.

Habemus ergo veram Dei in hoc negotio χίσιν, qua reperta facile est alias omnes removere. Primum ergo damus hoc postulanti *Socino*, Deum non esse hîc spectandum ut Judicem sub lege constitutum. Nam talis qui sit Judex is nocentem non posset à pœna liberare etiam pœnam in alterum transferendo: non quia id per se injustum sit, sed quia legi non congruat, cujus ipse minister electus est. Quod his verbis expressit *Lactantius*, de ira Dei, cap. 19. *Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator & judex, quam cum poneret, non utique ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.* Recte *Seneca, Clementia*

mentia, inquit, *liberum arbitrium habet ; non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat.* Æquitas enim eſt etiam adſtricti formulæ judicis : at clementia proprie ita dicta non eſt niſi ſummi in quaque communitate rectoris. Idem *Seneca* Principem hoc jubet cogitare: *Occidere contra legem nemo non poteſt ; ſervare nemo præter me.* Agnovit hoc diſcrimen *Auguſtinus : Judicibus ſtatutum eſt, ne liceat in reum datam ſententiam revocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hac erit lege ? nam ipſi ſoli licet revocare ſententia & reum mortis abſolvere, & ipſi ignoſcere.* Et *Symmachus: Alia eſt conditio Magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia Divorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeveri juris inflectere.* Quo & *Cicero* reſpexit, cum pro Ligario ad *Cæſarem* dixit: *Non feci, non cogitavi. Ad judicem ſic agi ſolet ; ſed ego ad parentem loquor, Erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto; ut ignoſcas, oro.*

At *Socinus*, quanquam loco ſupra citato Deum ut ſummum Principem ſtatuit, paſſim tamen in omni hoc actu

longe

longe aliam ipsi χάριν tribuit, nimirum partis offensæ. Vult autem partem omnem offensam esse pœnæ creditorem: atq; in ea tale habere jus, quale alii creditores in rebus sibi debitis, quod jus sæpe etiam dominii voce appellat: ideoque sæpissime repetit Deum hîc spectandum, ut partem offensam, ut creditorem, ut dominum, tria hæc ponens tanquam tantundem valentia. Hic error *Socini* cum per totam ipsius tractationem latissime diffusus sit, & dici ferme possit in hac materia esse ipsius τὸ πρῶτον ψεῦδος, accurate refelli debet.

Id ut fiat prima hæc ponatur assertio: Punire non est actus competens parti offensæ qua tali. Probatur hoc, quia alioqui oporteret omni parti offensæ competere per se jus puniendi: quod falsum esse ex eo apparet, quod punire probavimus actum esse ὑπερεχῆς: ipso etiam *Socino* fatente, cum Deum hic spectandum dicit ut Principem, unde aliud argumentum nascitur firmissimum: Si punit Deus & pœnam tollit ut Princeps, non ergo ut pars offensa. Non potest enim idem duobus diversis tribui qua talibus. Interim non negamus Deum, qui peccata punit, vel impunita dimittit, recte

recte dici partem offensam; sed punire, aut impunitum dimittere, ei tribui qua pars offensa est, negamus. Notissimum enim est, posse aliquid de aliquo dici quod ei nõ conveniat qua tali: sicut Jurisconsultus canit, non qua Iurisconsultus, sed qua Musicus. Notavit hoc recte *Lactantius*; *Surgimus ad vindictam* non quia Læsi sumus, sed ut Disciplina *servetur*, *mores corrigantur*, *licentia comprimatur*. *Hæc est ira justa*, *quæ sicut in homine necessaria est*, *sic utique in Deo à quo ad hominem pervenit exemplum*. Est quidem recepta regula, neminem esse idoneum in sua caussa judicem: sed hæc regula non est juris naturalis, sed positivi, ideoque nec universalis. Plane enim locum non habet in summis rectoribus, sub quo nomine & parentes quoad familiæ curam comprehendo. Imperatores in sua caussa judicare, notant Jurisconsulti ad l. *Et hoc Tiberius D. de hære. instit.* Hoc accidere etiam in criminibus potest, ut in judicio læsæ Majestatis, & in bellis quæ ob injuriam illatam Regi à Rege indicuntur: cujus rei insigne est exemplum, 2 *Reg. cap.* 10. Puniunt ergo aut impunita dimittunt crimina Principes etiam læsi, non

non tamen qua læsi. Nam si id facerent ut læsi, jam & aliis læsis idem esset juris, qui tamen lædentem nec punire possunt, nec impunitum præstare. Rursum si punire aut impunitum dimittere Principibus qua læsis competeret, jam jus illis non esset puniendi crimina, in quibus læsi non sunt, cujus contrarium ratio monstrat & experientia. Ac nequis existimet ideo à Principe maleficos puniri, quod Reipublicæ noceant, cujus ipse præses est; videmus subditos etiam qui extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquerunt, recte & cum laude puniri. Unde apparet manifeste jus puniendi non comperere læso qua læso, cum nec posita læsione statim ponatur, nec remota removeatur: contra vero superiori ut superiori idem jus competere. Nam simulatque ὑπεροχὴν ponis, & jus puniendi ponis: eaque remota removes. Quicquid autem de jure pœnæ irrogandæ dicitur, id simul de jure dandæ impunitatis necesse est intelligi. Hæc enim naturali nexu inter se cohærent. Fefellit forte *Socinum*, quod interdum in sacris literis, atq; inter cætera in Dominica precatione nobis exemplum Dei peccata remittentis proponitur, ut

nos

nos quoque læſi aliis peccata condonemus. Sed cogitare debuit exempla ſumi non tantum à rebus quæ genere proximo ſint eædem, ſed & ab iis quæ aliquid habeant ſimilitudinis, præſertim cum rebus ſimilibus, etſi genere proximo diverſis, idem aliquod nomen ob ſimilitudinem imponitur. Sic vetat nos Chriſtus judicare, immiſericorditer nimirum, ne & ipſi judicemur: additque, qua menſura alios menſi fuerimus, eadem nobis remenſum iri. *Matth.* 7. 1, 2. ubi judicare illud prius ab altero diſtat toto genere. Nam prius eſt judicium libertatis: alterum judicium poteſtatis. Eodem modo longe aliud eſt in Deo & in aliis rectoribus remittere peccata: aliud vero in privatis ab altero læſis. Illi enim oppoſitum eſt punire; huic vero pœnam poſtulare, aut optare, aut etiam conquiri. *Coloſſ.* 3. 13. Diſtant ergo intrinſecus, ſed extrinſecus quodammodo conveniunt. Nam cauſſa impellens ad utrumque eſt benignitas ſive φιλανθρωπία: effectus vero eſt, quod is qui peccavit ab incommodo aliquo liberetur: aut reipſa, aut certe quantum eſt in remittente: quæ convenientia ſufficit ut exemplo ſua vis conſtet.

Altera

Altera hæc ſit aſſertio: Naturaliter pars offenſa qua talis nullum jus habet in pœna. Hoc plus aliquanto eſt quam quod prima aſſertio collegerat. Ibi enim negavimus actum ipſum puniendi competere parti offenſæ: hîc negamus jus aliquod ipſi competere, non modo ad actum per ſe exercendum, ſed etiam ad obligandum alterũ ut exerceat: hoc eſt, partem offenſam non eſſe in pœna vere creditorem: quod tamen putat *Socinus*, & tanquam certiſſimum ſæpe repetit. Creditorem hic intelligo non ſtricta ſignificatione juxta vocis originem, eum qui fidem alterius ſecutus eſt, ſed generalius juxta juris definitionem: Creditores ſunt quibus ex qualibet cauſſa debetur. Verum autem eſſe quod dicimus, ſic probatur. Notiſſimum eſt duplex eſſe jus, naturale aut poſitivum: quare debitum quoque omne aut hinc aut illinc oriri neceſſe eſt. Jus naturale conſiſtit in ipſa rerum inter ſe adæquatione; tale ergo eſt & naturale debitum. At jus poſitivum eſt, quod ex libero actu voluntatis naſcitur: qui eſt duplex, contractus & lex. Contractus eſt effectus ejus poteſtatis, quam quis habet in ſe & ſua: lex vero effectus ejus poteſtatis, quam quis

quis habet in alium & aliena. De positivo debito hic non agimus: ideo addidimus vocem naturaliter, cujus rei causam infra explicabimus. Natura vero ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem potest, quam æqualitas secundum rem, hoc est, ut quantum mihi per te abest, tantundem reddatur: hoc uno verbo vocare licet indemnitatem aut restitutionem. Hinc creditorem τὸ ἴλαττον ἔχοντα recte vocavit *Aristoteles*. Habet autem hoc locum tum in acceptionibus ἐκουσίοις, tum in ἀκουσίοις, ut idem *Aristoteles* notat. Sicut enim reddere teneris mutuum aut depositum, ita & rem furto sublatam. Et hactenus naturaliter etiam ex delicto creditores fieri possumus. Neque id locum habet in his duntaxat delictis, in quibus rei corporalis acceptio intercedit; sed in aliis etiam factis alicui noxiis: ita qui alterum vulneravit, debet & mercedes medicis præstitas, & impendia ob curationem facta, & operarum intertrimentum. L. ult. D. de his qui effud. Mirati sunt quidam quod *Aristoteles* homicidium quoque posuerit inter συναλλάγματα, in quibus versatur τὸ διορθωτικὸν δίκαιον: sed recte notavit *Eustathius*, non alia id ratione fieri,

fieri, quam quia uxori, liberis aut cognatis occisi aliqua soleat fieri damni compensatio: de qua videre est in *lib. 4. parag. 1.* ad *L. Corn.* Sic & is qui mendacio famam læsit alterius, veri professione resarcire debet id quod de dignitate ipsius delibavit. Ex quibus omnibus apparet id quod ex delictis naturaliter debetur diversum esse à pœna. Causa enim naturalis istius debiti est primo & per se nō vitiositas actus, sed quia mihi aliquid abest: nam etiamsi citra vitium absit, ut in depositō, nō eo minus mihi restitutio debetur. Causa autem pœnæ est ipsa actus vitiositas, non autem quod aliquid mihi absit. Nam etiamsi nihil absit cuiquam, recte actus punietur, ut in gravibus delictis, quæ inchoata tantum & nō consummata sunt. Est & aliud discrimen non minus insigne, quod restitutionis modum & quantitatem ipsa rei natura determinat: pœna etsi in genere suo causam habet naturalem, aliquomodo (ut infra dicemus) determinari tamen non potest, nisi per actum liberum voluntatis. Adde quod ante condemnationem, pœna, quatenus in dando aut in faciendo consistit, non debetur ordinarie: at restitutio omnino debetur. Restitu-

tutionis debitum in hæredem transit, pœna non transit. Quæ ideo duntaxat referre libuit, ne quis id quod læso proprie debetur, cum pœna temere confundat. Interea verum est lege positiva ut & contractu, introduci posse ut creditori jus aliquod quæratur in pœnam, quam tunc quoq; à rei seu damni persecutione jura manifeste distinguunt L. Si pignore parag. cum furti. D. de furtis Instit. de lege Aquilia parag. his autem verbis. Sed hoc plerunque constitui solet in pœnis pecuniariis, quæ scilicet non modo damnum adferunt ei qui læsit, sed & læso lucrum. In pœnis autem corporalibus, in quibus nullum est verum lucrum læsi, hoc ipsum vix usurpatur. Ideoque videmus Reges alios q; summos rectores pœnam remittere sontibus etiam in vita parte læsa, injuncta ipsis sola damni restitutione: quod injustum nemo judicat. Esset autem hoc injustum, si pœna læso deberetur, præsertim ubi nulla Reipublicæ necessitas remissionem postularet. L. 2. C. de in jus vocando. Quare quod minores Magistratus pœnas corporales nequeunt remittere, non id evenit ob jus aliquod læsi in pœna (nam læso consentiente nihilo magis possent) sed quia

lex

lex ſuperioris illam poteſtatem ipſis non conceſsit, imo expreſſe negavit: quod ſimiliter intelligendum eſt de Regibus cum Deo comparatis, in iis delictis quæ omnino puniri ab ipſis lex divina imperat. Hæc eo ſpectant, ut appareat Deum quoque à nobis læſum in pœna proprie non eſſe creditorem. Nam id qui affirmat, aut eo jure nititur quod ex rebus ipſis naſcitur, aut jure conſtituto. Eo jure quod ex rebus ipſis oritur læſum non eſſe in pœna creditorem, ſatis ut arbitror oſtendimus. Jus autem conſtitutum, non quo pœna, ſed quo creditum tale pœnæ ſit introductum nec allegatur, nec, ſi allegetur, probari poterit: neque ulla cur ita conſtituendum fuerit dari poteſt ratio. Objiciet forte aliquis, quod Deus pœnam peccatorum remittens alicubi cum creditore de jure ſuo cedente comparatur, ut *Matth.* 18. 35. Sed, ut ſupra oſtendimus, comparatio non exigit ut res genere proximo conveniant, ſed quavis ſimilitudine contenta eſt. Sic Chriſtus pedes diſcipulorum lavans exemplum dedit diſcipulis, ut quemadmodum ipſe fecerat, ſic & illi facerent: hoc eſt, inſervirent alter alteri. Similitudo autem Dei peccata remittentis,

tis, & creditoris de jure ſuo cedentis major eſt quam Dei ejuſdem peccata remittentis, & læſi condonantis offenſas, qua de ſimilitudine modo egimus. Conveniunt enim Dei & creditoris actus non tantum cauſſa movente, quæ eſt benignitas, & effecto, quod eſt liberatio à miſeria aut moleſtia; ſed eo inſuper, quod in utroque præcedit jus aliquod, in Deo ad puniendum, in creditore ad exigendum creditum: & utrinque contingit diſſolutio quædam obligationis antea exiſtentis; quanquam in ipſa obligatione, ut & in diſſolutione aliquid ſit diſſimile, quod cum ad eam rem ad quam adfertur id exemplum proprie non pertineat, ſimilitudinem ſive παραβολὴν vitiare non poteſt.

Tertia aſſertio hæc eſto: Jus puniendi in rectore non eſt aut jus abſoluti dominii, aut jus crediti. Probatur hoc primo ex fine, qui optime ſolet diſtinguere facultates. Nam jus abſoluti dominii, ut & jus crediti comparatum eſt ejus gratia, qui id jus habet: at jus puniendi, non punientis cauſſa exiſtit, ſed cauſſa communitatis alicujus. Pœna enim omnis propoſitum habet bonum commune; ordinis

dinis nimirum conservationem & exemplum: ita quidem ut rationem expetibilis non habeat nisi ab hoc fine, cum jus dominii & crediti per se sint expetibilia. Hoc sensu Deus ipse dicit se pœna eorum qui puniuntur non delectari. Rursus nunquam cum justitia pugnat de jure dominii aut crediti cedere: quia natura hæc est proprietatis, ut ea tam uti quam non uti liceat. At quædam peccata impunita dimittere (puta non resipiscentium) esset injustum in rectore, etiam in Deo, ut fatetur *Socinus*. Non est ergo jus puniendi idem cum jure dominii aut crediti. Præterea, nemo ob id justus dicitur, ac justitiæ nomine laudatur, quod dominio suo utatur, aut quod creditum exigat. At quivis rector, atque ipse Deus, justus ob id dicitur, & justitiæ nomine laudatur, quod pœnas non remittat, sed severe exigat. *Justus es Domine, quod sic judicasti*, Apoc. 16. 5. quod pluribus locis supra probatum est. Iterum, virtutum diversitas oritur ex diversitate objectorum. At virtus qua de dominio aut de credito nostro cedimus, liberalitas vocatur, non clementia: illa vero qua impunitas conceditur, non liberalitas, sed clementia.

Quæ-

Quærat forte aliquis cum deberi pœna dicatur, quis hic sit creditor? Vix enim videtur posse intelligi debitor, ubi creditor sit nullus. Sed notandum est, vocem *debere* non semper notare relationem inter duas personas. Sæpe enim, debeo hoc facere, nihil aliud est, quam convenit hoc à me fieri, sine respectu ad personam alteram. Ita debeo pœnam, id est, dignus sum pœna, & pati eam teneor absolute: non autem relate ad hunc aut illum. Ideo perinde est in qua Republica, sub quo rectore aliquis pœnas delicti luat; æque enim apud omnes liberabitur: quod non ita procederet, si, ut aliarum rerum, ita pœnæ certus extaret creditor: uni enim illi, non etiam aliis, nisi jussu ipsius facta solutio debitorem liberaret. Contrarium ferme in præmio apparet: rectè enim dicitur, debetur illi præmium: at certa persona quæ debeat (sepositâ lege positiva) non apparet. Nam si quis dicat Rempublicã esse certam quæ debeat præmium, quia beneficium acceperit, is gratiam à præmio non distinguet. Quin ipsa experientia docet, à rectoribus eos etiam præmiis ornari, qui non suæ reipublicæ speciatim, sed qui humano generi profuerunt, ut

rerum

rerum in commune utilium repertores: imo etiam consiliis præclare susceptis etsi successus defuerit, ac proinde utilitas ad neminem redundarit, reddi præmia videmus. Ergo ne hîc quidem ulla est inter definitas personas relatio, qualis in illo debendi genere, quod est ἐκ συναλλαγμάτων. Si quis tamen cupiat in pœna aliquid sibi dari, quod sit creditori ἀνάλογον, non inepte forte dicetur, ordinem rerum, bonumque publicum fungi vice creditoris, cujus ordinis bonique dispensatio rectori permissa est. Hoc enim indicare videtur trita sententia, *Delicta puniri publice interest*. Atque hinc evenit, quod cum in causis aliis judex inter duas partes cognoscat, in causis criminum sæpe reus appareat, actor non appareat: quia ordo ipse seu bonum publicum quasi actoris loco est: quod & Scriptura videtur innuere, cum dicit peccatum clamare contra peccatorem. Et ubi quis agit ad pœnam, agit aut ut quilibet (quemadmodum iis in locis ubi accusationes promiscue omnibus patent) aut ut à lege ad hoc ordinatus: quod iis in locis contingit, qui publice constitutos accusatores habent: quorum utrumque certum est

indicium natura & reipſa nullum hîc eſſe definitum adverſarium & pœnæ quaſi flagitatorem.

Sequitur alia dubitatio, quæ vis ſit ejus vocis cum rector aliquis dicitur peccata, aut quod idem eſt, pœnam ἄφιναι aut χαρίσασθαι. Hac enim voce decepti multi exiſtimarunt dominium hîc aliquod aut creditum antecedere, in quo multum falluntur. Nam vox Græca ἀφίναι proprie ſignificat à ſe amovere; atque ita ſumitur *Math.* 4.20. & alibi ſæpe: unde ſumpta metaphora ſignificat & deſerere & dimittere & permittere, frequentiſſime autem rationem alicujus rei non habere: quod *Latini* ſimili locutione dicunt, miſſum aliquid facere: itaq; Scholiaſtæ *Græci* paſſim τὸ ἀφίναι exponunt per τὸ ἀμελεῖν. Ita ſumi hanc vocem apparet *Matth.* 15.14. 18.12. 23.23. *Marc.* 7.8. Itaque & ἁμαρτήματα ἀφίναι eſt peccata miſſa facere: quod alibi longius hanc tranſlationem perſequens Scriptura vocat peccata in mare projicere, *Mich.* 7.9. Sicut & *Latini* Poetæ ea quæ extra curam poni ſignificant dicunt, ventis tradi in mare raptanda. Quare ſicut oppoſita ſunt miſſum aliquid facere & retinere, ita opponuntur

inter

inter se ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας & κρατεῖν, Joh. 20.23. Missa ergo facere peccata, ut & delere peccata & tegere, idem est quod alibi planius effertur, non recordari. *Ier.* 31.34. Non recordari autẽ, ut Latinum ignoscere, significat punire nolle. Quare sicut in illis vocibus non recordari, tegere, delere, retinere nolle, non est dominici juris aut crediti significatio, ita nec in voce ἀφιέναι. Sed quia vox ista quæ missum facere significat, generalis est, ideo & ad ea quæ in dominio habemus, & ad nomina, & ad res alias pari jure aptatur. Sic & vox χαρίζεσθαι ad omne gratificandi genus pertinet. Christus cæcis τὸ βλέπειν ἐχαρίσατο, Luc. 7.21. ἐχαρίσθη *vobis pro Christo pati*, Phil. 1.29. Ita & judex qui in gratiam alicujus hominẽ condemnat, aut absolvit, dicitur eum alteri χαρίσασθαι, Act. 3.14. 25.11. & 16. Quæ omnia declarant nullum ea voce aut dominium aut creditum necessario significari. De *Latinis* vocibus, quæ in hoc argumento usurpari solent donandi, condonandi, remittendi, minus nos necesse est esse sollicitos, cum in sacris literis non extent. Et tamen earum quoque facile est rationem reddere. Accidit enim istis vocibus quod aliis pluribus,

imo ferme omnibus, ut à ſimilibus ad ſimilia producantur. Donare proprie eſt quod ſuum dominio ſit, id gratis alienum facere: pœna ergo proprie non donatur: nam quod donatum eſt antea exiſtit & poſtea manet: pœna nec fuit antequam donaretur, & donando efficitur ne exiſtat. Sed in eo eſt ſimilitudo, quod ſicut donator jus habet in re, ita rector in pœna; non tamen idem jus aut æque liberum. Nam jus dominii, ut ante diximus, eſt domini cauſſa: jus puniendi boni communis gratia: cujus ut aliarum rerum communium diſpenſatio ad rectorem pertinet. Secunda convenientia in eo eſt, quod tum in donatione jus donantis, tum in impunitatis conceſſione jus quod fuerat rectoris ad puniendum tollitur. Tertia quod & donatio & impunitatis conceſſio naſcitur ex eodem fonte benignitatis: & alteri prodeſt. Neque hîc tantum, ſed & alibi ſæpe donandi vox ad ea transfertur, in quibus jus dominicum locum non habet: ita donari dicitur aliquis à Magiſtratu civitate, vacatione, honore, præmio: ita *Seneca* moram donare dixit pro auferre moram in alicujus gratiam: ita tempus noſtrum dicimur donare aliis. Remittere

tere autem primigenio ſignificatu eſt, ut *Græcum ἀφίημι*, à ſe amovere. Sic librum remittit arbor: eques frena. Sic aures remittuntur, & per tranſlationem cuſtodia, diſciplina, animus: paſſimque oppoſita ſunt remitti & intendi. Hinc creditum remitti dicitur, cum ejus nulla habetur ratio: nec aliter pœna. Neque ea vox pœnæ aptatur propter creditum, neque credito propter pœnam; ſed utrique propter aliud, in quo illa inter ſe conveniunt. Addi poteſt aliquo modo dici etiam poſſe pœnam deberi alicui; non proprie, quia nemo hîc eſt vere creditor; ſed ob ſimilitudinem quandam. Quia enim ut creditor jus habet ſibi debitum exigendi, ita rector jus habet puniendi, & accuſator pœnam flagitandi, propterea *κατὰ χρησιν* interdum dicimur pœnam debere aut rectori ut Deo, aut accuſatori ut diabolo: quanquam nec diabolo fiat injuria, ſi pœna non infligatur homini, neque cum Dei juſtitia conſiſtat, ut de pœna quavis in infinitum remittat: quorum neutrum in veris creditoribus locum poteſt habere.

CAP. III.

Qualis ſit Dei actus in hoc negotio, & oſtenditur eſſe legis relaxationem, ſive diſpenſationem.

EXaminatis partibus, quibus in hoc negotio Deus fungitur, facile erit nomen aliquod ipſi actui dare. Ac primum, cum Deus hîc, quemadmodum probavimus, ſit ſpectandus ut rector, ſequitur actum hunc eſſe actum juriſdictionis generaliter dictæ. Unde ſequitur, nõ agi hîc de acceptilatione, ut putat *Socinus:* illa enim actus non eſt juriſdictionis. Propius ut deſignetur ſuum huic actui genus, poteſt is ipſe actus conſiderari, aut cum relatione ad divinam ſanctionem, ſive, ut recentiores Juriſconſulti loquuntur, legem pœnalẽ, aut citra eam relationem: quod ideo adjicimus, quia etiamſi lex nulla pœnam expreſſiſſet, naturaliter tamen ipſe actus humanus, ſive intrinſecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, ſive etiam extrinſecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipſo pœnam aliquam, & quidem gravem, merebatur: hoc eſt, par erat

erat hominem peccatorem puniri. Hic si subsistamus, erit actus Dei de quo agimus, punitio unius ad impunitatem alteri consequendam: de cujus actus justitia mox agemus. Si vero præterea respiciamus sanctionem sive legem pœnalem, erit actus ipse via ad indulgentiam seu temperamentum ejusdem legis, quam indulgentiam hodie dispensationem vocamus: quæ definiri potest, actus superioris, quo legis manentis obligatio circa quasdam personas aut res tollitur. Sanctio hæc est: Homo comedens de vetita arbore omnino morietur, *Gen.* 2. 17. ubi per unam speciem peccati, omne peccati genus indicatur, ut exprimit lex eadem clarius explicata, *Maledictus qui non manserit in omnibus præceptis legis*, Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. Mortis autem & maledicti voce his locis intelligimus præcipue mortem æternam. Perinde ergo se res habet, quasi in hunc modum lex esset concepta: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ.

Non est ergo hîc legis istius executio; nam si legem Deus omnino exequeretur, non posset quisquam peccator servari à pœna mortis æternæ. At nunc scimus fidelibus non esse κατάκριμα, quia liberati

ſunt à morte, *Rom.*8.2. & redempti ab execratione, *Gal.*3.13.

Non eſt etiam hic actus legis abrogatio; nam lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii ſunt eidem legi. Ideo ſcriptum, eſt quod ira Dei manet ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας, *Ioh.*3.36. & quod illos occupat ira Dei ad finem uſque, 1 *Theſſ.*2.16.

Non eſt etiam interpretatio Legis κατ' ἐπιείκειαν: nam ea interpretatio oſtendit aliquod factum aut perſonam ſub legis obligatione nunquam fuiſſe comprehenſam: ſicut opera religionis & miſericordiæ ſub interdictione operandi in Sabbato nunquam fuerunt comprehenſa, *Matth.*12.5. & 6. At vero omnes homines (quippe concluſi ſub peccatum, *Rom.*11.32. *Gal.*3.22.) etiam hi qui liberantur, natura ſive per ſe filii ſunt iræ, *Eph.*2.3. hoc eſt, obligati legis ſanctione. Non ergo declaratur nulla eſſe obligatio: ſed hoc agitur, ut ea quæ fuit, tollatur; id eſt, ut relaxatio ſeu diſpenſatio legis contingat.

Quæri hic poſſit, an lex iſta pœnalis ſit relaxabilis. Sunt enim leges quædam irrelaxabiles, aut abſolute, aut ἐξ ὑποθέσεως. Abſolute irrelaxabiles ſunt, quarum op-

oppositum immutabilem in se pravitatem continet ex rei ipsius natura, ut putà lex quæ vetat pejerare, aut falsum testimonium contra proximum ferre. Sicut enim dicimus Deum non posse mentiri, *Hebr.* 6. 18. aut semet abnegare, 2 *Tim.* 2. 13. ita non minus rectè dicemus, Deum non posse actiones per se pravas facere, aut approbare, aut jus ad eas concedere. Ἐξ ὑποθέσεως vero irrelaxabiles sunt leges, quæ feruntur ex definito decreto, quod Scriptura vocat τῆς βουλῆς ἀμεταθέτον, sive ἀμεταμέλητον, qualis est lex de damnandis his, qui nolunt in Christum credere: *Hebr.* 3. 18. Leges autem positivæ omnes absolutè sunt relaxabiles: neque ad necessitatem hypotheticam ex definito decreto confugiendum est, ubi nota talis decreti nulla exstat. Quod autem quidam verentur, ne si id concedamus, injuriam faciamus Deo, quasi eum statuamus mutabilem, in eo multum falluntur. Nam lex non est aliquid internum in Deo, aut ipsa Dei voluntas, sed voluntatis quidam effectus. At voluntatis divinæ effectus mutabiles esse certissimum est. Neque vero Deus legem positivam promulgando, quam aliquando velit relaxare,

aliud se velle significat, quam reipsa vélit. Serio enim Deus ostendit velle se, ut lex rata sit atque obliget, salvo tamen jure relaxandi, quod legi positivæ suapte natura cohæret, neque ullo signo à Deo abdicatum potest intelligi. Imo quod est amplius, ne abrogandi quidem jus Deus à se removet, ut exemplo legis cæremonialis apparet. Aliud sane est, si legi positivæ adhæreat aut juramentum aut promissio, quorum utrumque notatur *Hebr.* 6.18. Nam juramentum signum est immutabilitatis rei cui adjicitur. *Psal.* 95. 11. 110. 4. *Hebr.* 3. 11. 18. 6. 17. 7. 21. promissio autem jus dat parti, quod ab ea auferri sine injuria non potest. Quanquam ergo promittere est liberum, tamen liberum non est promissa frangere: ideoque id ad ea referri debet, quæ immutabilem in se pravitatem continent. Hoc ergo Deus non potest, qui fidelis propterea dicitur, quod promissa servet, 1 *Thess.* 5. 24. Videamus ergo, an in dicta lege pœnali insit aliquid, quod relaxationem plane repudiet.

Ac primo objici potest, justum esse naturaliter ipsos fontes puniri pœna tali, quæ delicto respondeat: ac proinde id non subjacere libero arbitrio, neque esse

esse relaxabile. Ut huic objectioni respondeatur, sciendum est non sequi injustum ex quavis negatione justi, etiam positis iisdem circumstantiis: quemadmodum enim non sequitur, si liberalis Rex dicendus est, qui alicui mille talenta dederit, ideo si non dederit, illiberalem fore: ita non est perpetuum ut id quod juste fiat, non nisi injuste omittatur. Naturale autem aliquid, ut in physicis, ita in moralibus aut proprie aut minus proprie dicitur. Naturale in physicis proprie est, quod rei cujusque essentiæ necessario cohæret, ut animanti sentire: minus proprie vero, quod alicui naturæ conveniens & quasi accommodatum est, ut homini dextra uti. Sic ergo in moralibus sunt quædam proprie naturalia, quæ necessario sequuntur ex rerum ipsarum relatione ad naturas rationales, ut perjurium esse illicitum: quædã vero improprie, ut filium patri succedere. Quod ergo is qui deliquit pœnam meretur, eoque punibilis est, hoc ex ipsa peccati & peccatoris ad superiorem relatione necessario sequitur, & proprie naturale est. Ut vero puniatur quivis peccator pœna tali quæ culpæ respondeat, non est necessarium simpliciter & universaliter:

liter: neque proprie naturale, ſed naturæ ſatis conveniens. Unde ſequitur, nihil obſtare quo minus lex hoc ipſum imperans ſit relaxabilis. Nota definiti decreti ſive irrevocabilitatis in ea, de qua agimus, lege non apparet: neque eſt lex promittens; ergo ne horum quidem quicquam relaxationem impedit. Neque enim admittendum eſt, ut comminatio promiſſioni adæquetur. Nam ex promiſſione jus aliquod acquiritur ei cui facta eſt promiſſio: at comminatione apertius dimaxat declaratur meritum pœnæ in peccante, & jus puniendi in comminante. Neque metuendum eſt, ne Dei veracitati aliquid decedat, ſi minas non omnes impleat. Omnes enim minæ, quibus non adeſt irrevocabilitatis ſignum, intelligendæ ſunt ex ſuapte natura de jure comminantis ad relaxandum nihil imminuere, ut antea expoſitum eſt: & divinæ adverſus *Ninevitas* clementiæ exemplo manifeſte apparet. Non eſt hîc omittendum Philoſophos veteres ex lumine rationis judicaſſe, nullam eſſe materiam magis relaxabilem lege pœnali. Itaque *Ariſtoteles* τὸ ἐπιεικὲς ait eſſe συγγνωμονικὸν: & *Sopater* in Epiſtola ad *Demetrium* ſic ait:

ait: τὸ λεγόμενον ἐπιεικὲς δίκαιον τὴν ἀυστηρὰν τῶν νόμων φωνὴν παραμυθούμενον, ἀμεμφὴς ἐμοὶ δοκεῖ χαρίτων ἀληθινῶν καὶ ἐλευθερῶν παράφασις. Τὸ μὲν γὰρ ἐπὶ τὰ συναλλάγματα τῆς δίκης ἐπανορθωτικὸν ἐκφύγει παντελῶς τὸ τῶν χαρίτων γάνος· τὸ δ' ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον οὐκ αἰαίνεται τὸ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων πάθημα. Ex his, quæ huc uſque dicta ſunt, legem iſtam Dei poſitivam & pœnalem diſpenſabilem fuiſſe apparet. Sed hoc non obſtat quo minus rationes quædam fuerint, quæ hanc relaxationem poſſent (ut more humano balbutiam) diſſuadere. Hæ autem peti poſſunt aut à natura legum univerſarum, aut ex propria legis materia. Legibus omnibus commune eſt, quod relaxando aliquid videtur de autoritate legis deteri. Proprium hujus legis, quod etſi ea lex, ut diximus, inflexibilem rectitudinem non habet, eſt tamen ipſi rerum naturæ atque ordini perquam conveniens. Ex quibus ſequitur, non quidem omnino non relaxandam fuiſſe legem, ſed non facilè, neque levi de cauſſa. Atque id ſecutus eſt ſolus ille πάνσοφος νομοθέτης. Cauſſam enim habuit gravi ſimam, lapſo in peccatum genere humano, legem

legem relaxandi; quia ſi omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuiſſent, periiſſent funditus ex rerum natura duæ res pulcherrimæ, ex parte hominum religio in Deum, & ex parte Dei præcipuæ in homines beneficentiæ teſtatio. Neque vero Deus in relaxanda lege cauſſas duntaxat, & quidem graviſſimas, ſecutus eſt, ſed & relaxationi modum adhibuit ſingularem, de quo infra agendi aptior erit locus.

CAP. IV.

An injuſtum ſit Chriſtum puniri ob peccata noſtra, & oſtenditur non eſſe.

ARgumenta, quibus *Socinus* hoc dogma it labefactatum, non ſatis recto ordine ab ipſo poſita, hoc modo nobis digerenda videntur, ut prima ſit claſſis earum ratiocinationum, quæ id quod factum defendimus injuſtum fuiſſe colligunt: ſecunda earum, quæ cauſſam negant fuiſſe ita faciendi: tertia, quæ id quod aſſerimus, à Deo factum negant. Nam ſi res ipſa injuſtitiam continet, fruſtra ejus cauſſa quæritur, cum injuſti nulla

nulla possit esse rationabilis caussa: frustra etiam an factum sit disputatur, cum nihil injusti à Deo possit fieri. Caussæ quoque examinatio, cum natura facti antecedat quæstionem, prius quoque tractanda est. Ut ergo ad justi atque injusti veniamus quæstionem, primum separanda sunt ista; An justum fuerit Christum puniri ob peccata nostra; &, An id aliquid facere potuerit ad veniam nobis impetrandam. Nam posterius hoc ad secundam classem referendum est, quæ de caussa facti disputat: ad primam vero hanc proprie non pertinet. Nam etiamsi talis caussa pœnæ non fuisset, non inde sequeretur in ipsa pœna injuriam aliquam contineri. Injuria autem videtur quæri posse aut in ipsa materia, hoc est, in gravissimis afflictionibus & morte comparatis ad ejus qui ista patiebatur innocentiam, aut in forma, hoc est, in pœna comparata ad peccata aliena tanquam caussam meritoriam. Ostendemus ergo in neutro esse injuriam.

Primum ergo non fuisse injustum, ut Christus innocentissimus à Deo gravissimis cruciatibus, ipsaque morte afficeretur, fatetur *Socinus*; ut hinc nullum subsidium ipsius caussæ possit accedere. *Lib. 3. c. 9. & c. 10.*

Idemque

Idemque res ipſa manifeſtiſſime demonſtrat. Nam graviſſima paſſum eſſe Chriſtum, mortuum quoque, ſacra Hiſtoria oſtendit; hoc ipſum à Deo factum, non minus clare Scriptura loquitur. Nihil autem à Deo injuſte fieri, ſine contumelia divini numinis negari non poteſt.

Contra Soc. lib. 3. c. 3.

Ad alteram ergo partem tranſgredi-ens affirmo, non eſſe ſimpliciter injuſtum aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob peccata aliena. Injuſtum cum dico, manifeſtum eſt me loqui de injuſtitia, quæ ex rebus oriatur, non quæ ex jure poſitivo, ut quo nequeat imminui divina libertas. Dictũ probo; *Exod.* 20. 5. & 34. 7. *Deus viſitat parentum iniquitates in filios, nepotes, & abnepotes. Patres noſtri peccaverunt, & nos pœnas eorum ferimus.* Thren. 5. 7. Ob factum *Chami* execrationi ſubjicitur *Canaan*, *Gen.* 9. 25. Ob factum *Saulis* ſuſpenſi ſunt filii ejus & nepotes Deo approbante, 2 *Sam.* 21. 8, 14. Ob factum *Davidis* pereunt 70 millia, & exclamat *David*, *Ego peccavi & iniquè feci; hæ oves quid fecerunt?* 2 Sam. 24. 15, & 17. Sic ob factum *Achanis* filii puniuntur, *Joſ.* 7. 24. & ob factum *Jeroboami* poſteritas ipſius, 1 *Reg.* 14. Hi loci

loci manifeste ostendunt, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata. Videat, si cui otium est, *Chrysostomum Homil. 29. in Gen. cap. 4. Tertullianum* adversus *Marcionem*.

Objicit *Socinus* illud apud *Ezechielem*; *Anima quæ peccavit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater portabit iniquitatem filii*: sed his verbis Deus non quid necessario sibi faciendum sit, docet; sed quid facere libere decreverit. Non magis ergo hinc sequitur iniquum omnino esse, ut filius ullam paterni delicti pœnam ferat, quam iniquum esse, ut non moriatur peccator. Locus ipse evincit, non agere hîc Deum de jure perpetuo & immutabili, sed de ordinario providentiæ suæ cursu, quo se posthac adversus *Judæos* usurum profitetur ut omnes calumniæ ansas abrumpat.

Neque magis ad rem facit, quod scriptum est, *Deut. 24. 16. Ne morte afficiuntor Patres pro filiis: neq; filii pro patribus: sed quisque ob peccatum suum morte afficitor*. Cujus etiam fit mentio, 2 *Reg.* 14. 6. Lex enim hæc est ex parte positiva, lata hominibus à Deo, qua Deus non adstringitur, ut qui eam sibi nus-

nuſquam tulerit, neque vero ulla lege poſſit adſtringi. Manifeſta quoque eſt rationis diverſitas, quia poteſtas hominum arctior eſt quam Dei; quod infra clarius explicabitur, ut jam taceam in hominibus metui abuſum poteſtatis, in Deo non metui.

Excipit *Socinus*, nuſquam in Scriptura reperiri innocentes ob nocentum peccata punitos. Sed hæc exceptio ad rem non facit. Nam cum legamus punitos aliquos non ob ſua tantum peccata (quorum ratione nocentes erant) ſed inſuper ob aliena, ſequitur punitos etiam quà non erant nocentes. Si autem ex parte aliquis poteſt puniri quà nõ eſt nocens, quo minus & in totum poſſit, natura non obſtat; partium enim & totius jus eſt idem. Adde jam quod poſteri *Saulis* omnino erant innocentes quo ad peccatum illud ob quod puniebantur. Si autẽ poteſt quis puniri quà innocens eſt, poterit & innocens. Ac ſi quis recte advertat, innocentia non magis obſtat punitioni quam afflictioni: imo illi neutiquam, niſi propter hanc. Quare diſtinctio nocentis & innocentis ad quæſtionem illam pertinet, An affligi quiſpiam jure poſſit: non autem ad hanc, An afflictio

flictio ejus vim possit habere pœnæ. Concesso enim non esse de essentia pœnæ relationem ad peccatum proprium, concesso etiam innocentem posse affligi (ut à Deo ad tempus posse fieri fatetur *Socinus*) nihil plane afferri potest, cur ex ipsa rerum natura (nam de lege positiva hîc non agimus) injustum sit innocentem ob noxam alterius tali afflictione puniri, præsertim si ipse ad pœnam talem sponte se obligaverit, ejusque suscipiendæ in se potestatem habuerit: quod infra tractabitur.

Urget *Socinus*, saltem inter nocentem & eum qui puniatur, conjunctionem aliquam debere esse, quam agnoscit inter patrem & filium; inter Christum autem & nos non agnoscit. Dici hîc posset, non esse hominem homini alienum, naturalem esse inter homines cognationē & consanguinitatem, carnem nostram à Christo susceptam: sed longe major alia inter Christum & nos conjunctio à Deo destinabatur. Ipse enim designatus erat à Deo ut caput esset corporis, cujus nos sumus membra. Atq; hîc observandum est, perperam à *Socino* eam conjunctionem, quæ ad pœnas alteri ob alterius peccata irrogandas sufficiat, ad

carnem

carnem solam restringi : cum mystica conjunctio vim non minorem hîc habeat : quod in exemplo Regis & populi maxime apparet. Supra citata est historia populi *Israelitici* ob culpam *Davidis* puniti. Qua de re sapienter disserens autor vetus quæstionum & responsionum ad orthodoxos, quæ *Justini* nomine circumferuntur, sic ait, ὡς σύγκειται ὁ ἄνθρωπος ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, οὕτως καὶ ἡ βασιλεία σύγκειται ἐκ τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν βασιλευομένων. καὶ ὥσπερ ἁμαρτήσας ὁ ἄνθρωπος ἁμάρτημα διὰ χειρὸς, κἂν τυπτηθῇ εἰς τὸν νῶτον οὐκ ἀδικεῖ ὁ τυπτήσας αὐτὸν, οὕτως οὐκ ἀδικεῖ Θεὸς ἐπὶ τοῖς τῶν βασιλέων πταίσμασι τὸν λαὸν τιμωρούμενος.

Tandem huc *Socinus* devenit, ut dicat hoc saltem non inveniri in Scripturis, punitum innocentē ob eas culpas, quarum ipse nocens impunitatem tulerit. Sed hoc quoque ad rem non facit. Nam cum per se & universaliter injustum nō sit nocenti impunitatem dare (quod fatetur *Socinus*) neque sit injustum punire aliquem ob peccata aliena, ne in his quidem conjunctis injustitia esse poterit. Imo id ipsum injustum non esse, manifestum facit Scriptura, *Achabi* exemplo ; qui ipse suorum peccatorum accepit.

pit impunitatem, quorum pœna de filio ac posteritate ejus exacta est, 1 *Reg.* 21. 29. 2 *Reg.* 8. & 9. & 10. Sed hoc accuratius examinabitur, ubi ad illam veniemus quæstionem, Ecqua causa Deum moverit, ut Christum ob peccata nostra pœnis afficeret.

Neutiquam ergo stant à *Socino* sacræ literæ, quæ id à Deo factum ostendunt, quod ipse injustitiæ immerito accusat. Sed neque majus illi à recta ratione præsidium, quam mirum est toties ab illo jactari, monstrari nusquam. Sed ut omnis hic error dematur, notandum est, esse quidem essentiale pœnæ, ut infligatur ob peccatum, sed non item essentiale ei esse ut infligatur ipsi qui peccavit: idque similitudine præmii, gratiæ, & ultionis manifestum est. Nam præmium sæpe in bene meriti liberos aut cognatos, & gratia in propinquos ejus qui beneficium contulit, & ultio in ejus qui offendit amicos conferri solet: neque eo desinunt esse quod sunt, præmium, gratia, ultio. Huic illud accedit, quod si contra naturam esset pœnæ, infligi ei qui non peccavit, jam hoc ipsum non injustum esset dicendum, sed impossibile. Atqui vetat Deus ob patris delictum puniri ab homi-

nibus

nibus filium, nõ vetantur autem impoſſibilia. Præterea, injuſtitia proprie non accidit relationi, (qualis eſt punitio) ſed ipſi actioni, qualis eſt materia punitionis. Et hîc verum diſcrimen quæri neceſſe eſt, cur non æque ſit omnibus liberum punire aliquem ob alienum peccatum atque eſt præmio afficere, aut gratia ob alterius meritum aut beneficium. Actus enim cui ineſt præmium aut gratia, eſt actus beneficus, qui ſui natura omnibus permittitur. At actus cui pœna ineſt, eſt actus nocivus: qui nec omnibus, nec in omnes conceſſus eſt. Quare ut pœna juſta ſit, requiritur ut actus ipſe pœnalis ſit in poteſtate punientis: quod tripliciter contingit, aut antecedenti jure ipſius punientis, aut juſto ac valido conſenſu ejus de cujus pœna agitur, aut ejuſdem delicto. Cum per hos modos actus factus eſt licitus, quo minus deinde ordinetur ad pœnam peccati alieni, nihil intercedit, modo inter eum qui peccavit & puniendum aliqua ſit conjunctio. Conjunctio autem hæc eſt aut naturalis, ut inter patrem & filium; aut myſtica, ut inter Regẽ & populum; aut voluntaria, ut inter reum & fide-juſſorem.

Provocat *Socinus* ad omnium Gentium

tium judicia. Sed primum ad Deum quod attinet, nõ dubitarunt Philosophi puniri ab ipso in liberis parentum peccata: quod *Plutarchus* facunde explicãs libro περὶ τῶν ὑπὸ θείου βραθέως τιμωρουμένων, sic ait, ἔστι δήπου καὶ γένος ἐξηρτημένον ἀρχῆς μιᾶς καὶ δυνάμιν τινα καὶ κοινωνίαν διαπεφυκυῖαν ἀναφερούσης· καὶ τὸ γεννηθὲν οὐχ ὥς τι δημιούργημα πεποιημένον ἀπήλλακται τοῦ γεννήσαντος. ἐξ αὐτοῦ γὰρ, οὐχ ὑπ' αὐτοῦ γέγονεν, ὣς ἔχει τι καὶ φέρεται τῶν ἐκείνου μέρος ἐν ἑαυτῷ καὶ κολαζόμενον προσηκόντως καὶ τιμωρούμενον. Et mox: οὐδὲν δεινὸν οὐδ' ἄτοπον ἂν ἐκείνων ὄντες ἔχωσι τὰ ἐκείνων. Addit deinde non dissimile quid ab eo, quod ex scriptore Christiano modo citavimus: γελοῖος ὁ φάσκων ἄδικον εἶναι τῶν ἰσχίων πονούντων καίειν τὴν ἀντίχειρα. *Valerius* autem *Maximus* de *Dionysio Siculo* agens: *Tametsi debita tot sacrilegiis supplicia non exsolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit quas vivus effugerat*. Similes sunt loci sexcenti apud historicos & poëtas. Sic & populum à Deo puniri ob peccatum Regis non minus recepta fuit sententia ab *Hesiodi* usque temporibus, qui dixerat Δίκην *Jovis* esse filiam, quæ *Jovem* interpellaret ὄφρ' ἀποτίσῃ.

Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων.

Puniri

Puniri alios ob aliorum delicta non audet negare *Socinus*. Eſt enim in pœnis pecuniariis res manifeſta. Satiſdatorem pro reo pœna pecuniaria plecti, ait *Vlpianus l. ſi quis reum D. de cuſt. & exhib. reorum*. In pœnam furti recte accipi fide-juſſorem ait *Caius*, quia pœnâ ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadeat. *l. Si à reo D. de fidejuſſ.* Atque hoc ipſum ſufficit, ut appareat non eſſe de natura pœnæ, ut is & ſolvat, & neceſſario plectatur qui deliquit. Cur autem in corporalibus pœnis idẽ jus non ſit, hanc adfert rationem *Socinus*, quia pecunia alterius effici poſſit: atque ideo pro alio ſoluta brevis manus fictione videatur donata delinquenti, ac deinde ab ipſo numerata; corporalis autem vexatio alterius effici nequeat; ſed hoc ſubtiliter magis quam vere dicitur. Nam iſta ratio nonnihil facit ad pariendam ipſi reo liberationem. Verum ut alteri infligatur pœna quam alter ſit commeritus iſta ratio non efficit. Nam ea ſi valeret ſæpe ne præmium quidem benemeriti ſolvi poſſit conjunctæ perſonæ; quia ſcilicet res in qua præmium conſiſteret, nõ poſſet fieri ejus, qui bene eſſet meritus: ſive quia is eſſet mortuus, ſive quia res

Lib. 3. cap. 3.

res ipsa esset incorporalis. *Athenienses* bene meritorum filios publice educabant. *Romani* veteranorum filiis privilegia indulserunt decurionum. Perfectissimorum (quos vocabant) & nepotes & pronepotes quæstionibus noluerunt subjici. Memoriam parentum liberis ad impunitatem profuisse, in *Græcis Romanisque* historiis legimus. At educatio, privilegium, impunitas liberorum non potest effici educatio, privilegium aut impunitas parentum mortuorum. Imo si verum esset quod dicit *Socinus*, jam à fidejussore nolente reum forte absentem ab obligatione pœnæ pecuniariæ liberari, pœna non posset exigi. Hæc ergo quod ad hanc quæstionem attinet, non est vera differentia inter pecuniarias pœnas & corporales; veriorem mox indicabimus. Illud vero maxime miror, quod *Socinus* dicat, omnium Gentium ac sæculorum legibus & consuetudinibus probatum, non posse corporalem pœnam, quam unus debeat, ab altero persolvi. Nam apud *Persas* sane antiquitus ob unius noxam peribat propinquitas, teste *Marcellino*. Apud *Macedonas* devota erant capita eorum, qui sanguine perduelles

contingerent, *Curtio* narrante. In *Graeciæ* civitatibus mos fuit cũ tyrannis tyrannorũ liberos occidi, ut *Halicarnassæus* & *Cicero* notant. Non sunt quidem hæc probanda, sed evincunt tamen illud de omnium Gentium consensu non esse usquequaque verum. Et in his quidem exemplis ad pœnam sufficere videbatur citra consensum ullum sola personarum conjunctio: quod merito à *Romanis* repudiatum notat *Halicarnassæus*. Cæterum ubi consensus aliquis antecederet, ferme ausim dicere omnium eorum, quos *Paganos* dicimus, neminem fuisse, qui alium ob alterius delictum puniri injustum duceret. Ostendit hoc jus occidendorum obsidum humanissimis etiam populis usitatum. *Thessali* olim ducentos quinquaginta obsides interfecerunt, ut narrat *Plutarchus*. *Romani Volscos* trecentos securi percussere: *Tarentinos* dejecerunt de saxo *Tarpeio*, ut est apud *Livium*; *Gothorum*, *Dacorum*, *Anglorum* similia extant exempla. Et ut recte notarunt viri doctissimi, ita jus esse creditum est. Sic & in capitalibus judiciis vades capite plecti solitos, si rei se non sisterent, unde *Græcis* ἀνὶ ψυχοι appellantur, tum aliunde, tum ex nobili illa *Damonis*

&

& *Pythia* historia satis apparet. Neque sane mirum est ita ab illis judicatum. Nam quia credebant unicuique homini non minorem esse potestatem in vitam suam quam in res alias, ut docet frequens atque adeo decantata apud *Græcos*, *Romanos*, aliasque gentes αὐτοχειρία, plane consequens erat, ut crederent vitã quoq; nõ minus quam cætera valide posse obligari. Priore enim posito, posterius concedi erat necesse. Ac sane si quis omne hoc negotium qua oportet diligentia excusserit, inveniet verum discrimen, cur ex consensu minus aliquis ad pœnam corporalem quam ad pecuniariam teneatur, hoc esse, quod consentiens parem in corpus ac pecuniam potestatem non habeat. Neq; tamen recentioribus Jurisconsultis assentior, ex *Ulpiani* quodam responso hoc probantibus qui dixerit, Dominum membrorum suorum neminem videri, L. liber homo. D. ad legem Aquil. Domini enim vocem stricte sumit ex usu juris civilis, quatenus servo opponitur. Nam quia lex Aquilia districte de servo loquitur, directam actionem quæ verbis legis respondeat, negat libero homini vulnerato posse accommodari: ita tamen ut ex paritate rationis

dandam putet utilem. Et ut vere dicam quod sentio, quanquam *Romanorum* æquitatem, in moderanda hac pœnarum extensione, maxime mirer, induci tamen non possum ut credam, ab illis existimatam esse rem plane & per se injustam, unum ob alterius noxam corporaliter plecti. Neque eo moveor, quod fidejussiones sub pœna capitali ab ipsis interdictæ fuerunt. Vetari enim solent multa, non quod omnino injusta putentur, sed quod periculosa, ut fidejussiones mulierum omnes, aliorum etiam pro dote. Hoc ergo juris fuit civilis: quod cum cesset inter populos exteros, ideo in obsidibus aliter ab ipsis *Romanis* observatum est. Quid quod tanto post Christiani Imperatores statuerunt, ut commentariensis, reo per familiæ suæ culpam carcere elapso, pœnam ipsius ferret? *L. ad commentariensem. C. de custod. reor.* Quid quod hodie quoque, aut non ita pridem, nobiles juris magistri tradiderunt regulam hanc, Ne quis obligare se posset ad pœnam capitalem, cessare si lex aut consuetudo eum morem firmaverit?

Ad eas vero pœnas quod attinet, quæ non consensum aliquem, sed solam per-

sonarum

ſonarum conjunctionem reſpiciunt, quanquam vetant leges *Romanæ* filium paternæ pœnæ ſucceſſorem conſtitui, aut ulla ob patris crimen macula notari, hoc ipſum tamen, non ab initio, ſed ab eo tempore, quo *Sp. Caſſius* tyrannidis damnatus eſt, obtinuiſſe notat *Halicarnaſſæus*. Quare nec ipſi quidem *Romani* hoc jus putarunt ex perpetua quadam & immutabili juſtitiæ regula deſcendere: quippe cum *Arcadius* & *Honorius* Imperatores eorum qui Majeſtatem læſiſſent filiis vitam videri voluerint non ex juris neceſſitate ſed Imperatoria lenitate concedere, cum alioqui, ut ipſi loquuntur, paterno debuiſſent perire ſupplicio, *L. quiſquis C. ad L. Jul. Majeſt.* Omitto jam quod mortem perduellium liberis irrogatam non à *Tiberio* tantum & *Severo*, ſed & à *Theodoſio*, ex hiſtoriis probari poteſt. Notandum præterea in eadem *Arcadii* & *Honorii* lege filiis perduellium auferri jus omne ab inteſtato, aut ex teſtamento cuiquam ſuccedendi, infamiâ ipſis inuri, vetari ne ad honores aut Sacramenta perveniant: deinde addi: *ſint poſtremo tales, ut his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium.* Ex-

cluſio ab honoribus circa liberos eorum, qui in Rempublicam peccaſſent, jampridem *Romanis* à *Syllanis* temporibus erat uſitata. Ut autem ſcelera parentum filii ſua egeſtate luant, *Cicero* ait & antiquum eſſe, & *Omnium* Civitatum; ac nominatim addit *Themiſtoclis* liberos eguiſſe: quæ eò duntaxat adferuntur, ut appareat, non eum fuiſſe conſenſum gentium, quem pro ſe adducit *Socinus*: neque vero *Romanos*, quorum inter omnes populos conſpicua maxime æquitas fuit, id diſcrimen reſpexiſſe in pœnis quod pecunia poſſit fieri alterius, corporalis pœna non poſſit. Nam nec egeſtas filiorum, nec infamia, nec ab honoribus excluſio potuit fieri parentum egeſtas, infamia aut excluſio ab honoribus, niſi forte per fictionem quandam, quæ patrem, & liberos pro uno eodemque homine habet.

Illud quoq; mirari libet, quod de *Zaleuci* facto, cujus hiſtoria eſt apud *Diodorum Siculum* & *Ælianum*, ita pronunciat *Socinus*, ut dicat eum peſſime audire, ejuſque nomen inter impotentes & temerarios Principes ac populorum Judices cenſeri. Antiquitas ſane omnis *Zaleucum*, tum ob leges ſapientiſſimas,

tum

tum & istius facti nomine maxime laudavit, ut & ex his quos dixi Scriptoribus, & *Plutarcho* aliisque apparet: neq; puto ullum Scriptorem veterem de eo facto aliter judicasse. In oculis est omnium *Valerii Maximi* sententia: *Nihil illis etiam justitiæ exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrensium à se saluberrimis atque utilissimis legibus munitâ, cũ filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota Civitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus.* Ac profecto si quemadmodum exulandi, ita oculum sibi eruendi libera esset homini potestas, nihil posset isto *Zaleuci* facto præclarius reperiri: præsertim cum legis præcisa obligatio aut propter ipsius principatum, aut propter populi consensum cessaverit. Erravit ergo *Zaleucus*, ut *Pagani* ferme omnes, quod jus sibi

in corpus ſuum majus vero aſſerunt. Cæterum factum iſtud tantopere celebratum teſtimonium præbet contra notitiam illam, quam hominum mentibus impreſſam *Socinus* putat, non poſſe quenquam alieni delicti in ſe pœnam ſuſcipere.

Ut quæſtionem hanc concludamus, non hoc quæritur, an cuilibet judici liceat cuivis pœnas quaſcunq; alieni criminis infligere. Nam Judicibus inferioribus lex ſuperiorum hanc poteſtatem adimit. Neque hoc quæritur, an ſummæ inter homines poteſtati in quavis pœna, & in quemvis hoc ipſum liceat. Obſtat enim interdum aut lex divina, aut naturalis ratio: ſed hoc proprie quæritur, an actus qui ſit in poteſtate ſuperioris, etiã citra conſiderationẽ delicti alieni, poſſit ab ipſo ſuperiore ordinari in pœnam alieni delicti. Hoc injuſtum eſſe negat Scriptura, quæ Deum hoc ſæpius feciſſe oſtendit: negat natura, quia vetare non probatur, negat aperte conſenſus Gentium. Et ut res nudior ponatur ob oculos, quis injuſtam putat decimationem uſitatam in *Romanis* legionibus, ubi is qui deliquit, & cui poſſet ignoſci non minus quam alteri, punitur non pro ſuo tantum,

tantum, ſed pro omnium delicto? quis injuſtum putet, ſi ſumma poteſtate legem relaxante vir aliquis reipublicæ utilis, ſed ob culpam exilium meritus, retineatur in Republica, alio tamen ſponte ſua ſe ad exilium obligante, ut exemplo ſatisfiat? quis injuſtum putet, ſi Reipublicæ ſummus rector honores, quibus ſuſtinendis alii æque pares reperiuntur, perduellium liberis, alioqui non indignis, neget? Nihil profecto hîc iniqui eſt. Nam in prima facti ſpecie delictum puniti proprium, in ſecunda conſenſus validus ejus cujus res agitur, in tertia rectoris libertas permittebant id fieri, quo rector in pœnâ utitur. In facto noſtro habuit Deus poteſtatem affligendi Chriſtum innocentem ad mortem uſq; temporariam, fatente *Socino*, jure ſcilicet dominico: habuit & Chriſtus conceſſione divina, imo ut Deus ipſe, poteſtatem, quam nos non habemus, in vitam & corpus ſuum. *Ego*, inquit Chriſtus, ἐξουσίαν, hoc eſt, jus & poteſtatem, *habeo ponendi animam meam*, Joh. 10. 18. Nihil ergo iniquitatis in eo eſt quod Deus, cujus eſt ſumma poteſtas ad omnia per ſe nõ injuſta nulli ipſe legi obnoxius, cruciatibus & morte Chriſti uti voluit ad

ſtatuendum exemplum grave adverſus culpas immenſas noſtrûm omnium, quibus Chriſtus erat conjunctiſſimus, natura, regno, vadimonio: quod quam non modo juſte, ſed & ſapienter à Deo ſapientiſſimo ac juſtiſſimo fuerit inſtitutum, ſequenti capite magis apparebit, ubi divini hujus conſilii cauſſam indagabimus.

CAP. V.

An ſufficiens cauſſa fuerit quæ Deum moveret ad Chriſtum pro nobis puniendum, & oſtenditur fuiſſe.

Lib. 3. cap. 1. SOcinus noluiſſe Deum, ut Chriſtus pœnas pro nobis penderet, ſæpe hoc argumento probare nititur, quod cur Deus ita vellet nulla cauſſa appareat. Non utemur hîc Juriſconſultorum perfugio, qui negant omnium, quæ à majoribus ſunt conſtituta, rationem reddi poſſe: quanquam nobis hoc multo juſtius quam ipſis patere debebat, cum humanæ voluntatis cauſſas hominibus indagare ob communitatem naturæ non ſit adeo difficile: divinæ autem voluntatis cauſſæ ipſa ſui ſublimitate ſæpe nos lateant.

Quis

Quis menten Domini novit, à consiliis ipsi quis fuit? *Rom.* 11.34. Itaque sæpe sunt ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, *Rom.* 11.33. Addi poterat, sæpe voluntatem Dei ipsam sibi pro caussa sufficere. Nam his exemptis quæ certam & ad unum determinatam rectitudinem in se continent, quæ Deus vult quia justa sunt, hoc est, quia naturæ suæ congruunt; in cæteris omnibus quæ vult, justa efficit volendo. Sic, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, Rom. 9.18. Sed ad ista nos cõfugere nihil necesse est, cum caussas nobis sui consilii Deus ipse satis aperte patefecerit. Illud duntaxat præfari nos convenit, non recte *Socinum* postulare, ut talis caussa reddatur, quæ evincat Deũ aliter agere nõ potuisse. Talis enim caussa in his, quæ libere Deus facit, non requiritur. Liberam autem esse hanc actionem qui dixerit, habiturus est adstipulatorem *Augustinum*: qui non alium modum possibilem nos liberandi Deo defuisse, sed sanãdæ miseriæ nostræ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse potuisse profitetur. Sed & ante *Augustinum Athanasius* dixerat, ἠδύνατο καὶ μὴ δ' ὅλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ μόνον εἰπεῖν ὁ θεὸς καὶ λῦσαι τὴν κατάραν· ἀλλὰ

σκοπεῖν

σκοπεῖν δεῖ τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ δεινατὸν τοῦ θεοῦ λογίζεσθαι. Eo autem iniquior est ista *Socini* postulatio, quod ne ipse quidem cruciatuum & mortis Christi caussas reddit, quæ aliquam secum necessitatem trahant. Nam ad sanctitatis viam nobis monstrandam poterant sufficere oracula & miracula: poterat & Christus sine morte, & mors sine Christo. Nam Prophetarum quoque & Apostolorum afflictiones & mortes: Christi quoque vita hunc usum abunde nobis præstare poterant. Potuit & Christus post vitam hîc innocenter actam, ut *Enoch* aut *Elias*, in cœlum sine morte transferri, & inde majestatem suam terris ostendere. Hæ enim sunt caussæ, quibus Christi mortem *Socinus* ascribit, ut cuivis apparet, cum isto effecto nulla necessitate connexæ. Quod si ipsi sufficit caussas allegare non cogentes, ut ita dicam, sed invitantes & suadentes, ut aliis secum disputantibus duriorem legem ferat, æquitas non patitur.

Sufficientem autem caussam & quidem gravissimam ex Scripturis assignare nobis non erit difficile, sive id quæramus, cur Deus nobis remittere voluerit pœnas

nas æternas, sive cur aliter quã Christo punito remittere eaſdem noluerit. Prius illud cauſsã habet in bonitate, quæ proprietatum Dei maxime Deo propria eſt. Ubique enim Deus ſemetipſum hoc maxime attributo deſcribit, quod benignus ſit & clemens: *Exod.* 34. 7. *Ioan.* 4. 2. 2 *Chron.* 30. 9. *Pſal.* 86. 4. & 14. *Pſalm.* 103. 8. 111. 4, 5. 145. 8. *Eſai.* 55. 7. *Ierem.* 31. 20. *Ioel.* 2. 13. *Luc.* 6. 36. *Rom.* 2. 4. Propenſus ergo eſt Deus ad juvandum beandúmque hominem: at hoc non poteſt facere manente illa horribili æternaque pœna. Accedit quod ſi mors æterna cunctis incumberet, felicitatis deſperatione religio tota perierat. Magnæ ergo parcendi cauſſæ. Altera ex parte cauſſam Deo, cur Chriſto pœnam imponeret, illa Scripturæ teſtimonia jã ante nobis adducta evincunt, quæ Chriſtum ob peccata noſtra traditum, paſſum, mortuum loquuntur. Hæc enim loquendi genera, ut ibi oſtendimus, cauſſam impulſivam notant. Ex his vero, quæ de fine diximus, intelligi poteſt, non modo cauſſam fuiſſe aliquam, ſed & quæ illa fuerit: nimirum quod tot & tanta peccata ſine inſigni exemplo tranſmittere Deus no-

noluerit. Hoc autē ideo quia omne peccatum vehementer Deo displicet, eoque vehementius quo ipsum est grauius: *Proverb.* 11.20. *Psal.* 5.5. *Esai.* 66.4. *Rom.* 1.18. *Zach.* 8.17. *Psal.* 45.8. *Hebr.* 11.2. Cum vero Deus sit activus, & ratione utentes creaturas in id condiderit, ut suas proprietates magis testatas faceret, conveniens est illi, etiam quantopere sibi peccata displiceant, actu aliquo testari: actus autem ei rei convenientissimus est pœna. Hinc est illud in Deo, quod quia aliud vocabulum significantius non suppetit, iram vocant sacræ literæ, *Exod.* 32.10, 11. *Num.* 11.1. 16. 22. 25. 3. & seq. *Psal.* 2.5. 6. 1 *Joh.* 3. 36. *Rom.* 1.18. 2.8. *Eph.* 5.6. *Coloss.* 3. 6. *Apoc.* 5.16. Hac ira Deus se impediri testatur, quo minus bene hominibus faciat, *Gen.* 6.7. *Jerem.* 5.25. *Esai.* 59.2. *Deut.* 32.29, 30. Præterea, omnis peccati impunitas per se hoc habet, quod efficit ut peccata minoris æstimentur, sicut contra ratio expeditissima arcendi à peccato est formido pœnæ. Hinc illud, *Veterem ferendo injuriam invitas novam.* Ergo prudentia quoque hoc nomine rectorem ad pœnam incitat. Augetur præterea causa puniendi, ubi lex aliqua pub-

publicata est, quæ pœnam minatur. Nam tunc omissio pœnæ ferme aliquid detrahit de Legis autoritate apud subditos. Hinc illud Politicorum præceptũ τοῦς κειμένους νόμους ἰσχυρῶς διαφυλάττειν. Gravissimæ ergo Deo causſæ puniendi, præsertim si & magnitudinem & multitudinem peccatorum expendere libeat. Quia vero inter omnes Dei proprietates antestat amor humani generis, ideo Deus cum juste posset & moveretur ad punienda peccata omnium hominũ digna & legitima pœna, hoc est, morte æterna, his qui in Christum credunt parcere voluit: parcendum autem cum esset, aut aliquod exemplum aut nullum adversus tot & tanta peccata statuendo, sapientissime eam viam elegit, qua plures simul ipsius proprietates manifestarentur, nimirum & clementia & severitas, sive peccati odium, legisque servandæ cura. Sic *Zaleuci* factum laudans *Ælianus* causſas ejus refert duas, ἵνα μὴ ὁ τιμωρητικὸς τυφλωθῇ τελέως, &, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τὸ ἄπαξ κεκυρωμένον: quarum causſarum illa eo spectat, ut aliquid de lege mutetur per clementiam; hæc vero ne nimium mutetur. Notant qui de legum relaxatione scripserunt, eas esse optimas relaxationes, qui-

quibus annexa eſt commutatio, ſive compenſatio: quia ſcilicet eo modo & legis auctoritati minimum perit, & rationi ei quæ cauſſa eſt legis aliquatenus mos geritur: ut ſi qui rem teneatur tradere pretium perſolvendo liberetur. Proxima enim ſunt idem & tantundem. Talis commutatio non modo inter res, ſed interdum quoque inter perſonas admittitur, modo id fieri poſſit ſine alterius injuria. Sic in carcerem filii patribus ſuccedere permiſſi, ut *Miltiadi Cimon.* Et ne extra pœnalia judicia, & quidem divina abeamus, extant ſimilis facti expreſſa in ſacris literis veſtigia. *Davidi* homicidæ & adultero pronunciatur Dei mandato à *Nathane: Tralatum eſt à te peccatum* (hoc eſt, peccati pœna) *non es enim tu moriturus* (quod alioqui lex poſtulabat) *ſed quia Dei inimicis occaſionem omnino dediſti Deo contemptim obtrectandi, filius iſte qui tibi natus eſt* (tibi ſcilicet conjunctiſſimus, tuæq; pœnæ vicarius) *omnino moriturus eſt.* 2 Sam. 12. 13, 14. *Achabus* & homicidio ſe & rapina inquinaverat: denunciat ei per *Eliam* Deus futurum, ut canes lingant ejus ſanguinem. Veruntamen mox conſpecto ipſius pavore, & qua-

quadam divini numinis reverentia, dixit idem Deus: *non inducam malum illud* (quod scilicet & ipse meruerat, & ego eram comminatus) *diebus ejus: diebus filii ejus* (qui scilicet præter suas, paternas quoque pœnas ferret) *inducam malum illud super domum ejus.* Utrobiq; Deus relaxat legem seu pœnæ comminationem, sed non sine compensatione aliqua, ipsam pœnam in alterum transferendo: atque ita simul & clementiam suam & severitatem sive peccati odium testatum facit. Sic ergo Deus credituris in Christum volens parcere, causas habuit sufficientes, justas magnasque, cur à Christo volente, pœnas peccatorum nostrorum exegerit, nempe, ut verbis Æliani utar, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τὰ ἄγαν νενομισμένα, & ne minoris penderentur peccata, si tot & tanta sine exemplo transmitterentur. Adde quod hoc ipso Deus non tantum suum adversus peccata odium testatum fecit, ac proinde nos hoc facto à peccatis deterruit: (facilis enim est collectio, si Deus ne resipiscentibus quidem peccata remittere voluit, nisi Christo in pœnas succedente, multo minus insultos sinet contumaces) verum insigni modo insuper patefecit summum

erga

erga nos amorem ac benevolentiam: quod ille scilicet nobis pepercit, cui non erat ἀδιάφορον punire peccata, sed qui tanti id faciebat, ut potius quam impunita omnino dimitteret, filium suum unigenitum ob illa peccata, pœnis tradiderit. Plane ut περὶ συγγνώμης dictum est à veteribus, esse eam οὐδὲ κατὰ νόμον, οὐδὲ κατὰ νόμου, ἀλλὰ ὑπὲρ νόμον καὶ ὑπὲρ νόμου, id de hac divina gratia sit verissimum. Supra legem est, quia nos non punimur. Pro lege, quia non omittitur pœna: & ideo fit remissio ut in posterum legi divinæ vivamus.

His recte intellectis, concidunt omnia illa, quæ de caussæ defectu objicit *Socinus*: ita ut per singula ire minime sit necesse. In quibus tamen non pauci notari possunt errores, ut cum capite primo libri primi, itē libri tertii capite primo tradit justitiam punientem non residere in Deo, sed esse effectum voluntatis ipsius. Punire sane effectus est voluntatis: sed justitia illa sive rectitudo ex qua nascuntur tum alia, tum pœnarū retributio, proprietas est in Deo residens. Scriptura enim concludit Deum esse justum, quia pœnas reddat delictis, ex effecto caussam colligens. Sed in hunc

er-

errorem inductus videtur *Socinus*, quod Dei proprietatum effectus quosvis esse credidit necessarios omnino, cum multi sint liberi, intercedente scilicet inter proprietatem & effectum actu libero voluntatis. Sic bonitatis Dei est effectus bona sua communicare: at hoc ante creationem non fecit. Ejusdem bonitatis est, parcere sontibus: at parcere Deum iis quos pœnis æternis punit, vix quisquam dixerit. Sunt ergo quædam Dei proprietates, quarum exercitium, tum quoad actum, tum quoad tempus & modum actus, imo etiam quoad objecti determinationem, pendet à libera ipsius voluntate, cui tamen semper præsidet sapientia. Neque ideo quia liber est Deo proprietatum istarum usus, dici potest cum iis utitur sine caussa facere quod facit. Neque enim quia licuit Deo mundum non condere, ideo frustra mundum condidit: neque quia licuit Deo quosdam non punire (quod in iis præsertim, quorum Deus pœnitentiam non expectat, verum esse fatetur *Socinus*) ideo cum eos punit, sine caussa punit. Multa quippe libere fiunt, attamen ex gravi caussa.

Alter error est supra quoq; indicatus, quod

quod Deum peccata remittentem plane idem vult facere quod homines, qui de jure ſuo decedunt. Oſtenſum eſt à nobis pœnam non eſſe in dominio aut credito, aut illis per omnia poſſe comparari. Suum donare, creditum remittere nunquam non per ſe honeſtum eſt. Per ſe cum dicimus, ea quæ adſunt τῷ συμβεβηκὸς excludimus, qualis eſt ipſius donantis indigentia: quæ præterea in Deo locum non poteſt habere. At pœnam remittere interdum non fuerit honeſtum: ne Deo quidem, ut *Socinus* agnoſcit. Latum ergo hîc diſcrimen eſt: origo autem diſcriminis inde, quod juris dominici & crediti proximum fundamentum eſt relatio quædam rei ad perſonam: pœnæ autem, relatio rei ad rem, nimirum æqualitas delicti cum nocumento aliquo, conveniens ordini & bono communi: quare ne illud quidem verum eſt, quod ut certiſſimum poſuit *Socinus*, Rempublicam nihil commiſſuram injuſti, ſi nocentem abſolvat, niſi jus proprium privati alicujus ſimul lædat, aut Dei legem infringat. Nam aut Reipublicæ voce multitudinem intelligit eam quæ regit, aut eam quæ regitur. Multitudo quæ regitur, ut jus legum feren-

Lib. 3. cap. 2.

rendarum, ita & temperandarum non habet. Multitudo autem quæ regit, ut Senatus in ſtatu optimatium, aut major pars comitiorum in ſtatu populari, non plus poteſt quam alii ſummi rectores, puta in regno reges liberi & reſpectu familiæ patres. At juſtitiæ rectoris pars eſt ſervare leges etiam poſitivas & à ſe latas, quod verum eſſe tam in univerſitate libera quam in Rege ſummo probant juriſconſulti: cui illud eſt conſequens, ut rectori relaxare legem talem non liceat, niſi cauſſa aliqua accedat, ſi non neceſſaria, certe ſufficiens: quæ itidem recepta eſt à juriſconſultis ſententia. Ratio utriuſque eſt, quod actus ferendi aut relaxandi legem non ſit actus abſoluti dominii, ſed actus imperii, qui tendere debeat ad boni ordinis conſervationem.

Illud quoque reprehenſione indiget quod dicit *Socinus*, præter Dei & ipſius Chriſti voluntatem, non poſſe ullam legitimam cauſſam reddi mortis Chriſti, niſi dicamus Chriſtum meritum fuiſſe ut moreretur. Nam ineſt quidem in antecedente cauſſa meritum, ut ſupra diximus, ſed imperſonaliter. Mercbantur enim peccata noſtra ut pœna exige- *Lib. 3. cap. 10.* *cap. 2.*

exigeretur: quod vero pœna in Chriſtum collata fuerit, hoc ita ad Dei & Chriſti voluntatem referimus, ut ea quoque voluntas cauſſas ſuas habeat, non in merito Chriſti (qui peccatum cum non noſſet à Deo peccatum factus eſt) ſed in ſumma Chriſti aptitudine ad ſtatuendum inſigne exemplum: quæ tum in maxima ipſius nobiſcum conjunctione, tum in incomparabili perſonæ dignitate conſiſtit. *Socini* autem illa collectio manifeſtis Scripturæ teſtimoniis refellitur. Cur mortuus ſit infans *Davidis* cauſſa antecedens aperta redditur; quia *David* graviſſime peccando occaſionem impiis dederat contumelioſe inſultandi divino nomini. Eſt ergo hîc meritum, ſed non infantis. Et in *Achabi* poſteritate punienda præter meritum proprium, reſpexit Deus ad merita peccatorum *Achabi*: unde apparet cauſſam antecedentem pœnæ eſſe quidem meritum, ſed non ſemper meritum perſonæ quæ punitur.

CAP.

CAP. VI.

An Deus voluerit Christum punire: & ostenditur voluisse; simulque satisfactionis natura explicatur.

ABsolutis duabus quæstionibus, An juste potuerit Deus Christum volentem ob peccata nostra punire; &, An causſa aliqua sufficiens fuerit cur id Deus faceret; restat tertia, An revera etiam hoc fecerit, aut quod eôdem recidit, facere voluerit Deus. Id enim negat *Socinus*, tum alibi passim, tum ex professo *lib. 3. cap. 2.* Nos cum Scriptura defendimus, voluisse hoc & feciſſe Deum. Traditus enim, passus, mortuus dicitur Christus ob peccata nostra, *Rom. 4. 25. 1 Cor. 15. 3. 1 Pet. 3. 18. Esai. 53. 5.* Imposita est Christo castigatio pacis nostræ. Deus conjecit in Christum peccata nostra, id est, pœnas peccatorum, quæ ita exactæ sunt, ut ipse eo nomine affligeretur. Tulit Christus peccata nostra, hoc est iterum, pœnas peccatorum, *Esai. 53. 5, 6, 7. 1 Petr. 2. 24.* Christus se peccatum fecit, & Deus Christum fecit peccatum & maledictum, hoc est,

pœnæ

pœnæ peccatorum obnoxium, *Esai.* 53. 10. 2 *Cor.* 5, 21. *Gal.* 2. 13. Christi sanguis effusus est in remissionem peccatorum, ita ut ea remissio non obtigerit sine sanguinis effusione, sed per eam, *Matth.* 26. 28. *Hebr.* 10. 22. & alibi passim.

Opponit hîc multa *Socinus:* exempla quædam & promissiones ante Christum: dicta quædã de his, quæ per Christum se dare dixit Deus: vocem remittere & condonare, & ipsam liberalitatis naturam, ex quibus consequi arbitratur, velle Deum impunitatem nobis resipiscentibus concedere, nullâ à quoquam pœnâ eo nomine exactâ.

Ad exempla indulgentiæ quod attinet (præterquam quod ex iis nihil universale recte concluditur) notandum est ea aut pertinere ad pœnas temporarias, aut ad æternas. Si ad temporarias tantum, ut in *Achabo*, manifestum est discrimen: nam, ut vulgo dici solet, quod differtur non aufertur. Adde jam quod in ipso *Achabi* facto, ut & in facto *Davidis*, contrarium ejus apparet quod inferre vult *Socinus*, illa ipsa pro se allegans. Pœna enim temporaria ita ablata est à *Davide* & *Achabo*, ut in alios sit trãslata. Et in ipsa lege non remittuntur peccata,

cata, nisi fuso victimarum sanguine, ut infra explicabitur. Si vero de pœnæ æternæ remissione agitur, nullo argumento probat *Socinus*, eam esse factam cuiquam citra respectum Dei ad Christum.

De promissionibus idem statuendum quod de exemplis: obiterque notandum, cum Deus resipiscentibus promittit gratiam se facturum pœnarum temporalium, non id semper intelligendum de totis pœnis, sed de tantis. Sæpe enim Deus etiam resipiscentes solet punire, sed paterne & leniter. Sic à *Babylonicâ* captivitate populum pœnitentia ductum in patriam restituit Deus, sed pristinam libertatem & regni gloriam non reddidit. Ad pœnas vero æternas quod attinet, nulla est remissionis promissio, quæ Christi respectum excludat. Huc pertinent illa sacræ Scripturæ effata, quæ sine ullo temporis discrimine Christum ostendunt pro omnibus gustasse mortem, dedisse se λύτρον pro omnibus, *Hebr.* 2. 9. 1 *Tim.* 2. 4. multoque magis illa, quæ per comparationem additam omnem temporis restrictionem repudiant, ut cum omnes dicuntur peccasse & justificari per redemptionem in Christo, *Rom.* 3. 23. & cum per unum

Chriſtum ita dicitur in omnes (quotquot ſcilicet juſtificantur) veniſſe juſtitia, quemadmodum per unum *Adamum* in omnes venit condemnatio, *Rom.* 3. 12. 15. 17, 18. 1 *Cor.* 15. 22. Hinc eſt quod Chriſtus dicitur agnus mactatus à jacto mundi fundamento, *Apoc.* 13. 8. quem locũ à *Socini* interpretatione ſatis vindicant tum ipſa verborum ſeries, tũ ſimilis *Petri* locus, ubi redemptio dicitur facta per ſanguinem Chriſti agni inculpati & immaculati, præcogniti ante jacta mundi fundamenta, manifeſti autem facti ultimis temporibus, 1 *Pet.* 1. 19, 20. Quare alibi Chriſti mors dicitur interceſſiſſe ad redemptionem etiam earum tranſgreſſionum, quæ ſub priore pacto fuerant, *Hebr.* 9. 15. & per ſanguinem ipſius juſtitia Dei demonſtrata dicitur ob diſſimulationem peccatorum præcedentium, quæ Deus toleraſſe interim & ſuſtentaſſe oſtenditur, ipſa juſtitiæ demonſtratione in Chriſti tempus dilata, *Rom.* 3. 25. Accedit illuſtris ille ad *Hebræos* locus 9. 25. & ſeq. *Non ut ſæpius offerret ſeipſum ſicut Princeps Sacerdos in ſacrarium intrat quotannis cum alieno ſanguine (alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à jacto mundi fun-*

Lib. 2. *cap.* 26.

fundamento) *sed nunc semel in consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum factus est manifestus. Et sicut statutum est hominibus semel mori, deinde judicium: ita & Christus semel oblatus, ut sursum ferret multorum peccata*, &c. Cujus loci tota series si recte attendatur, & præsertim conferatur *Petri* ille locus, 1 *Pet.* 1. 19. ubi de re eadem iisdem prope vocibus agitur, apparebit hoc differre Christi sacrificium à *Levitico*, quod hujus vis esset limitata annuo tempore, illius vero vis se per omnia sæcula extendat: quippe cujus passio apud Deum ante omne ævum pro peracta sit habita, etsi reipsa certo tempore peracta, & sic decretum Dei nobis apertissime sit revelatum. Ni vero ita esset, oportuisse Christum sæpius subire passiones, non postquam cœpit prædicare, sed ab ipsa mundi origine. Quæ voces nullam plane habent significationem, nisi vis mortis Christi ad omnia peccata se extendat, quæ ab ipsa mundi origine hominibus unquam remissa fuerunt: plane sicut judicium post mortem ad omnia ea peccata se extendit, quæ vita durante homo commisit. Contraria vero

Lib. 2. cap. 26. *Socini* interpretatio non modo voces reddit inanes, ſed argumentum quoque Scriptoris enervat. Non enim ſequitur, poſito Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe, debuiſſe eum pati non tantum ſæpius, ſed etiam ſæpius à jacto mundi fundamento, niſi ſimul ponas Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe à jacto mundi fundamento. Hæc enim inter ſe connexa ſunt; quia non latius porrigitur effectus oblationis, quam immolationis dignitas. At offerri debuiſſe Chriſtum ſæpius à jacto mundi fundamento, poſita, quam Scriptor epiſtolæ ad *Hebræos* oppugnat, paritate ſacrificii Chriſti & *Levitici*, non aliunde ſequeretur, quam quia effectus oblationis Chriſti ad ea peccata porrigitur, quæ à jacto mundi fundamento unquam ſunt commiſſa & remiſſa. Nam ſi *Levitico* par eſſet (hoc eſt virtutis certo tempore limitatæ) certe à tempore, quo mortuus eſt Chriſtus, efficacia ejus ad antiquiſſima peccata non poſſet pertingere, ſed opus plane fuiſſet inter utrumque tempus multos ejus generis actus interponi.

Ad ea nunc teſtimonia ut veniamus, quæ ad Chriſti & novi fœderis tempus *Socino* videntur proprie pertinere; dicit quidem

quidem *Hieremias* Deum propitium fore peccatis: sed non negat id, quod dicit *Paulus*, hanc propitiationem fieri in Christi sanguine; sive Christum à Deo respici, imo, omnes Prophetæ (in quibus & *Hieremias*) testimonium præbent, remissionem peccatorum per nomen, hoc est, vim atque virtutem Christi accipi, *Act.* 10.43. Et liberatio per Christum obtigisse nobis dicitur juxta fœdus illud quod cum Patribus Deus fecerat, & juxta ea quæ per Prophetas prænunciaverat, *Luc.* 1.68,70,71,72, 73,74. *Baptista* quoque divino mandato pœnitentia ductis remissionem pollicetur, eamque propter viscera misericordiæ Dei nostri; sed idem Christum esse dixit agnum qui tollat peccata mundi, per mactationem scilicet, quod exprimit *Apocalypsis*, aut per sanguinem, ut *Petrus* loquitur: quibus locis Agni itidem facta mentio clare monstrat quo *Baptista* respexerit.

Vox remittendi, quam urget *Socinus*, in *Græco* est ἀφιέναι, quod vetus interpres κατὰ πόδας transtulit dimittere. Supra autem ostendimus neque *Græcæ*, neque *Latinæ* vocis eam esse vim, quæ juris proprii cessionem omnimodam

necessario includat, cum origo & primitiva vocis significatio opposita sit τῷ κρατεῖν, quod est retinere, aut adducere: unde porro similitudine quadam tum ad pœnas, tum ad credita transferri cœpit: nec ad illa tantum, sed & alia. Nam ἄφεσιν *Græci* vocant etiam rei insontis in judicio factam absolutionem. Ostendimus etiam supra quantum interfit inter remissionem crediti & remissionem pœnæ: & in pœnæ remissione, quæ à rectore fiat, nullam esse juris talis proprii ac privati, quale *Socinus* indicat, dominii scilicet absoluti aut crediti, abdicationẽ. Hæc igitur illinc peti possunt. Nunc illud duntaxat addendum est, non esse verum quod vult *Socinus*, remissionem pugnare cum quavis solutione antecedente. Quod ut intelligatur, descriptionem quandam ponemus remissionis debiti, quæ species illas duas, nempe crediti & pœnæ, sub se contineat: idque juxta ejus vocis usum tum in jure civili, tum in sermone communi. Remittere ergo debitum est actus aut creditoris aut rectoris, pœnæ seu crediti obligatione reũ liberantis. In gratiam eorum, quibus minus sunt cognita juris vocabula, explicationem fusiorem adhibebimus. Obli-

ga-

gationis destructio in jure liberatio dicitur. Hanc præcedere potest solutio, sequi non potest; quia actus nullus versari potest circa id quod non exiſtit amplius. Contingit ergo liberatio, interdū antecedente solutione aliqua, interdum citra omnem solutionem. Sed alia sōlutio ipso facto liberat, alia non ipso facto. Ipso facto liberat solutio rei plane ejusdem quæ erat in obligatione. Perinde autem est ipse reus solvat, an alius pro eo hoc animo ut ipse liberetur: quod ideo notandum est, quia si alio animo alius idē solvat, liberatio non contingit. *L. si pœnæ. L. in summa. D. de cond. indeb. L. Cassius. D. de solut.* Ubi ergo idem solvitur aut à debitore, aut ab alio nomine debitoris, nulla contingit remissio: nihil enim circa debitum agit creditor, aut rector. Quare si quis pœnam pertulerit quam debet, liberatio hîc erit, remissio non erit. Ac talis liberationis professionem in jure crediti proprie ac strictè ἀνοχὴν vocant Jurisconsulti. *L. Si accepto parag.* 1. *D. de Acceptil.* Alia vero quævis solutio ipso facto non liberat, puta si aliud quam quod in obligatione est, solvatur, *L.* 1. *parag.* 2. *D. de reb. cred.* Sed necesse est actum aliquem ac-

cedere creditoris aut rectoris, qui actus recte & uſitate remiſſio appellatur. Talis autem ſolutio quæ aut admitti aut recuſari poteſt, admiſſa in jure, ſpeciale habet nomen ſatisfactionis, quæ interdum ſolutioni ſtrictius ſumptæ opponitur. *L. Satisfactio D. de ſolut.* Atque hinc vera cauſſa petenda eſt, cur pœnæ corporalis vicarius ipſo facto reum, ſolvendo pœnam, nequeat liberare: hoc enim accidit primo & per ſe, non quia alius ſolvit, (id quippe liberationem non impedit, dum ea ſit ſolventis voluntas) ſed quia ſolvit aliud quam quod eſt in obligatione. Eſt enim in obligatione afflictio ipſius qui deliquit: unde dici ſolet, noxam caput ſequi: quod in aliis quoque obligationibus ad factum mere perſonalibus videre eſt, ut in ſponſalium contractu, & in obligatione operarum officialium. *L. operæ. D. de operis libert.* In his enim omnibus, ſi alius ſolvat, ipſo facto liberatio non ſequetur, quia ſimul aliud ſolvitur. Quare ut ex pœna unius alteri liberatio contingat, actus quidam rectoris debet intercedere. Lex enim ipſum qui deliquit puniri imperat. Hic actus reſpectu legis eſt relaxatio ſive diſpenſatio, reſpectu debitoris remiſſio.

Libe-

Liberatio vero citra solutionem, aut fit substitutione novæ obligationis, aut omnimoda ejus peremptione. Substitutione novæ obligationis quæ fit liberatio, novatio dicitur, & si persona debentis mutetur, delegatio. Illa autē liberatio, quæ citra ullam solutionem debitum plane perimit, si circa creditum verbis quibusdam solennibus peragatur, in jure civili acceptilatio dicitur. Circa pœnam autē nomen proprium (quod solutionem qualemcunq; & quantamcunq; necessario excludat) non habet, sed cōmuni nomine vocatur, gratia, venia, indulgentia, abolitio. His ergo fallitur *Socinus*, cum ad eam remissionē quam nobis Deus concedit, desumptam ex jure vocem acceptilationis applicat. Primum enim illa vox, etiam cum solutio nulla antecessit, ad jus crediti aptari potest, ad pœnas nec potest, nec solet. Nemo enim unquam legit ab ullo veteri scriptore indulgentiā criminum acceptilationem vocari. Nam accepto fertur ea res quæ accipi potest. At pœnam corporalem rector revera exigit, sed nō accipit, quia nihil ex pœna ad ipsum proprie pervenit. Deinde vero acceptilatio opponitur qualicunq; solutioni: unde figurate definitur, solutio ima-

ginaria. At Christus λύτρον dedit vitam suam pro nobis, *Mat.* 20.28. Et pretio empti, hoc est, solutione aliqua liberati sumus, 1 *Cor.* 6.20. & 7.23. de quo infra latius. Non est ergo hîc acceptilatio; non est etiam solutio rei ipsius debitæ, quæ ipso facto liberet; nostra enim mors & quidem æterna erat in obligatione; non est etiam novatio aut delegatio: neque enim post nos liberatos aliud simile debitum aut debitor alius succedit: sed est remissio antecedente satisfactione; quæ inter se pugnare male arbitratur *Socinus*, cum contra omnis satisfactio (hoc est solutio recusabilis) ideo admittatur, ut remissioni sit locus. Cum vero dicimus satisfactionem antecedere, id intelligendum est aut actu ipso, ut in peccatis Christianorum contingit, aut in decreto certo & irrevocabili, ut in peccatis sub lege commissis & remissis. Quod enim Deus facere decrevit, pro jam facto habetur, & dum debitum vere solvatur, nihil refert quo tempore id fiat, præsertim apud eum, qui omnia quæ certò futura sunt compertissima habet, & ea tanquã præsentia perpetuo videt atq; intuetur, quæ est ipsius *Socini* confessio. Quæ ergo adfert *Socinus*, ut probet non posse satis-

Lib. 2. *cap.* 26.

satisfactionem sequi post remissionem, aut omnino simul contingere, neq; vero hîc ullam esse novationem aut delegationem, item liberationem esse aliquam posse, ubi non sit remissio, frustra dicuntur, neque ad nostram quæstionem pertinent. Illud vero quod dicit, satisfactione omnino & statim tolli debitum, ad rem quidem pertinet; sed verum non est, nisi satisfactio contra juris usum sumatur pro ipsius rei quæ debetur, ab ipso qui debet, facta solutione: de qua nos non agimus. At ubi alius solvit pro debitore, & ubi aliud solvitur quam quod debebatur, hîc ad liberationem duplex actus voluntatis requiritur. Nam & qui solvit hoc velle debet ut debitor liberetur, alioqui non contingit liberatio, ut supra ostendimus, & alterius rei pro altera solutionem debet creditor aut rector velle admittere. Quare cum unusquisque actui ex sua voluntate pendenti legem possit imponere, sicut id quod pure debetur, novari potest sub conditione. *L. quoties D. de Novat.* ita etiam possunt, is qui solvit pro alio, & is qui rei alterius pro altera solutionem admittit, pacisci, ut aut statim sequatur remissio, aut in diem, item aut pure aut sub con-

conditione. Fuit autem & Chriſti ſatisfacientis, & Dei ſatisfactionem admittentis hic animus ac voluntas, hoc denique pactum & fœdus, non ut Deus ſtatim ipſo perpeſſionis Chriſti tempore pœnas remitteret, ſed ut tum demum id fieret, cum homo vera in Chriſtum fide ad Deum converſus, ſupplex veniam precaretur, accedente etiam Chriſti apud Patrem advocatione ſive interceſſione. Non obſtat hîc ergo ſatisfactio, quo minus ſequi poſſit remiſſio. Satisfactio enim non jam ſuſtulerat debitum, ſed hoc egerat ut propter ipſam debitum aliquando tolleretur.

Voci remiſſionis, per ſe inefficaci, fulcrum addit *Socinus* ex parabola, *Matth.* 18. idque duplici argumento: primum, quod Deus comparetur Regi pecuniam debitam ſervulo remittenti, nulla addita cujuſquam ſatisfactionis mentione: deinde, quod nos tacite jubeamur idem facere quod Deus: minime vero nos oporteat ita in nos delinquentibus ignoſcere, ut pœnas ab amicis ipſorum expetamus. Sed facilis eſt reſponſio, comparationem ultra id tendi quo reſpicit: quod in omni argumento à ſimilitudine ducto vitioſum eſt. Confert ſe Chriſtus

ſtus furi, nos vero quæſtori de alieno largienti: non quod aut ipſe rem alienam ſubtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat: ſed ſe quidem furi, quod ſuperveniat improviſus; nos vero quæſtori iſti, quod nos de noſtro facere oporteat id quod ille fecit de non ſuo. Sic in iſta parabola *Matth.* 18. commendatur nobis benignitas in proximum, quia Deus in nos benignus ſit. In hoc conveniunt Rex ille in parabola & Deus, quod benigni ſint in eos qui longe infra ſe ſunt poſiti. Hanc benignitatem Deus teſtatur pœnas remittendo: Rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Diſconveniunt quidem in eo Rex & Deus, quod Rex citra ſatisfactionem: Deus non citra ſatisfactionem remittit: ſed in eo ſita non eſt comparatio. Ratio quoque eſt alia. Nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum eſt, ſtatuendi quiſque habet liberrimam poteſtatem: & quo minus exigit, eo eſt liberalior: exigendo autem nullum actum virtutis exercet. At de pœna, quæ ad bonum commune, & ad ordinem pertinet, habet

habet quidem rector potestatẽ, sed quæ in infinitum non exeat. Et cùm pœnam exigit, virtute quadam utitur, quæ dicitur justitia ἀντιποδοτικὴ, ut supra ostendimus. Ad alteram vero comparationem quod attinet, quæ inter Deum & nos in parabolæ ἐπιμυθίῳ instituitur, nihil aliud inde inferri potest, quam æquum non esse ut duriores simus in parem, quam Deus tanto superior est in nos miseros homunciones. Hinc sequitur, non debere nos magis vindictã expetere quam pœnam Deus expetat. Deus autem nos à pœna liberavit: debet ergo & nobis abesse vindictæ cupiditas. Quomodo autem Deus istam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad institutum pertinet. In eo enim non similitudo est, sed dissimilitudo. Deus enim judex est; nos privati. Judici convenit sollicitum esse de exemplo: privatos ea cura non spectat. Judicis officio continetur puniendi potestas: eadem privatis adempta est. Quod si nimium prematur ista comparatio (ut fit à *Socino*) sequeretur homines quoque Judices non debere à sontibus ullis pœnas exposcere.

Remissionis vocem non satis esse validam ad omne genus solutionis sive satis-

tisfactionis excludendum *Socinus* aliquatenus agnoscens, aliquanto plus subsidii sperat ab altera voce χαρίζεσθαι, quã in hoc argumento *Paulus* ter usurpat, *Col.* 2.13. & 3.13. & *Eph.* 4.31. cujus vocis non aliã esse vim supra indicavimus, quam ut aliquod beneficium præsertim vero indebitum ea indicetur. Quod vero *Socinus* ut certissimum ponit, ad ejus vocis significationem hoc quoque requiri, ut quisquam sibi aliquid adimat, suoque se commodo privet, id plane verum non est. Ut enim omittam omnia illa, quæ περὶ τῶν χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ passim in Scripturis occurrunt, sicut inter alia, exempli caussa, cum nobis dicitur χαρισθῆναι in Christũ credere, & pro Christo pati; Jesus cæco ἐχαρίσατο τὰ βλέπειν· nunquid id cum faceret ullo se privavit commodo? Hominem insontem in gratiam cujusquam qui condemnat, is illum ipsum hominem dicitur alteri χαρίζεσθαι, *Act.* 25.11. & 16. qui tamen proprius damnantis non erat. *Paulus* Apostolicæ animadversionis severitatem in reum incesti distrinxerat, non ipse læsus, neque ullo suo commodo: hanc remittens χαρίζεσθαι se dicit, 2 *Cor.* 2.20. *Corinthios* quoque admonens, ut eundem

eundem hominem in priſtinæ amicitiæ jus admittant, hoc quoque χαρίζεσθαι appellat, *ib.* 7. & 10. Ex his aliiſque plurimis tum Novi Teſtamenti, tum aliorum quoque Scriptorum locis liquido apparet, ad vocis χαρίζεσθαι ſignificationem ſufficere, ut ad patientem aliquid commodi non debiti perveniat, etiamſi agenti nihil decedat. Accedit quod ſupra oſtendimus, rectorem in pœna nihil proprium atque privatum à ſe abdicare: idque in hoc argumento eo eſt manifeſtius, quia non Deo tantum ttibuitur τὸ χαρίζεσθαι, ſed & Chriſto, *Eph.* 4. 32. at peccati injuria proprie in Deum fertur, ita ut ſi eo nomine Deus remittens peccata dicendus ſit ſuum ſibi adimere, idem tamen de Chriſto qua mediatore dici nequeat. Neque magis verum eſt quod ex illo ante poſito deducit *Socinus*, nempe τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum ſatisfactione quavis. Neque enim pugnat cum ea quæ & libere admittitur cum poſſet repudiari, & ad quam is qui beneficio afficitur, nihil ipſe contribuit: quorum utrumque accidit in Chriſti pro nobis ſatisfactione. De *Latina* voce condonare, cum eo ſermone nihil ſcribi curaverit Spiritus Sanctus,

fruſtra

frustra solliciti simus. Quod si tamen hæc quoque in sacris literis appareret, tamen cum in pœna donatio proprie dicta locum non habeat, neque inusitata sit ejus vocis translatio, nihil hinc quoque inferri posset contra satisfactionem, quando condonari, quemadmodum & remitti aliquid recte dicitur, etiam ubi solutio accedit, sed talis quæ sine actu voluntatis vim non habeat pariendæ liberationis. Nam & Principes cum capitalium criminum reis veniam concedunt, solent & mulctæ aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicere. Neque tamen eo minus condonare dicuntur crimina. Quanto ergo justius ea vox hîc usurpari poterit, ubi requisita satisfactio à nobis non procedit, sed liberatio contingit plane gratis quoad nos, etsi non gratis absolute: quod Scriptura indicat, cum justificatos nos dicit gratis, & confestim addit διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, & quæ sequuntur: *Rom.* 3. 24. Certe cum Scriptura non uno loco redemptos nos dicat, & quidem pretio, & Christum se, aut carnem suam dedisse ad nos liberandos, harum vocum vim omnem evertere, condonatio-

nis

nis τὸ ῥητὸν, supra quam usus vocis desiderat, urgendo, æquitas nulla patitur.

Ad aliud vero *Socini* argumentum, quod ab imperata nobis Dei & Christi ἐν τῇ χαρίζεσθαι imitatione depromitur, nihil aliud opus est responderi, quam quod ad parabolam, *Matth.* 18. jam diximus: imitandam nobis proponi rem, non omnem modum rei. Res est ipsa benignitas, etiam post peccatum; & ex hac sequens remissio, sive (si ita loqui libet) condonatio: modus diversus: in Deo antecedente satisfactione: in nobis sine illa: neque mirum, cum judex sit Deus, nos privati. Quod si quis rem subtilius intueatur, reperiet forte, ne ab ea quidem quæ nobis præcipitur, condonatione, omnem omnino satisfactionem removeri, sed eam duntaxat, quæ pro ratione personæ, paris scilicet, non superioris, modum superet. Nam ipsa culpæ confessio & deprecatio (quam expeti non vetat Christus, *Luc.* 17. 4, 5.) adeò à satisfactione non abhorret, ut hoc ipsum *Latini* elegantiores proprio quasi vocabulo, satisfacere appellent. Sic & *Paulus* vocem χαρίζεσθαι de *Corinthio* usurpat, cum tamen præcessisset ἐπιπόθησιν τοῦ πλείονα, 2 *Cor.* 2. 6.

Et

Et proximis post Apostolos sæculis scimus lapsis publice pacem (quam vocabant) Ecclesiæ non datam, nisi post quosdam demissionis actus publicos, quos propterea satisfactiones vocabant.

Ducta à liberalitate ratio fragili fundamento innititur. Nam ut ante ostendimus, ea virtus, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non est liberalitas, sed clementia, quã *Seneca* recte definit lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis: *Cicero* nomen generis pro specie ponens, hanc ipsam clementiam lenitatem vocavit, eamque definiit, justitiam positam in moderatione animadvertendi; justitiæ nempe voce tam late sumpta, ut & pietatem, & fidem, & amicitiam complectatur. Hæc ergo clementia ad eam virtutem pertinet, quam *Aristoteles* in *Ethicis* vocat πραότητα. Est enim clementia τῦ ἄρχοντος πρᾳότης. Multum autem disjuncta sunt πραότης & ἐλευθεριότης. Scriptura hanc Dei clementiam nomine aliquanto generaliori vocat χρηστότητα, *Rom.* 2.4. & 11.22. *Tit.* 3.4. ἐλευθεριότητα autem nunquam. Imo quod amplius est, vox ἐλευθεριότητος sive liberalitatis

tatis ne in aliis quidē rebus quæ dari & accipi ſolent, de Deo uſurpatur; ſed hæc quoque virtus charitas potius Dei dicitur; quia liberalitatis proprie eſt ita dare aliquid, ut danti pereat. Quod autem *Socinus* magna ſermonis intemperantia perpetuam Eccleſiæ ſententiam impietatis damnat & ſacrilegii; ideo quod ipſe, ut dicit, duplicem agnoſcat Dei liberalitatem, nos autem ſimplicem duntaxat, in ea re magnam veritati injuriam facit. Nam duplicem Dei non liberalitatem (ea enim vox ab hoc argumento aliena & Scripturæ inuſitata eſt) ſed beneficentiam, noſtra quoque ſententia agnoſcit, & quidem majorem multo quam iſta nuper nata *Socini* opinio. Prior eſt beneficentia, quod cum Deus magno odio contra peccatum incitaretur, poſſetq; tam nobis parcere omnino nolle, quā peccatoribus Angelis parcere omnino noluit, tamen ut nobis parceret, non modo ſolutionem talem, quam admittere nō tenebatur, admiſerit, ſed ipſe quoque ultro eam repererit. Hoc certe beneficium multo eſt majus atque illuſtrius, quam ſi Deus plane judicans nihil referre exemplum ſtatueretur aliquod necne, peccata noſtra reliquiſſet impunita.

nita, quod vult *Socinus*. Non ergo clementia Dei pœnæ solutione evertitur, cũ talem solutionẽ admittere multoq; magis invenire ex sola clementia processerit. Altera beneficentia est, quod Filium suum sibi charissimum, imaginem sui, & (si ita loqui licet) alterũ se, morti dederit, non tantũ ut doctrinæ veritati testimonium redderet, & sic ad resurrectionẽ perveniret (intrã quæ sistit se *Socinus*) verum vel imprimis ut eam solutionem sive satisfactionẽ perageret, pœnas peccatorum nostrorum ferendo: in qua profecto parte fateri debet *Socinus*, multo se Christo minus debere velle quam nos debeamus: imo & Dei charitatẽ à nobis majorẽ prædicari, vel hoc evincat, quod beneficia non ex solo impendio, sed præcipue ex utilitate, quæ ex impendio ad beneficio affectũ manat, par est æstimari. Nos autem præter utilitates quas nobiscum *Socinus* confitetur, unam eximiam, quam ille abnegat, grato animo agnoscimus. Neq; dicimus à Deo impensũ esse Filium, ut ipse Deus suum reciperet, ac sic Deum sordidum facimus, quod nobis exprobrat *Socinus*, sed ideo id factum à Deo dicimus, ut peccati meritum suumque adversus peccata ódium

palam

palam teſtata faceret,& ſimul quantum ejus nobis parcendo fieri poterat,rerum ordini, legiſque ſuæ autoritati conſuleret. Neque illud minus iniquum, &, ut ipſius voce utar,immane eſt,quod à nobis immanem Deum dicit ſtatui. Nam finis iſte ſatisfactionis ſuperadditus nihilo graviores Chriſti perpeſſiones facit: quas ſine ulla crudelitate ipſi à Deo inflictas *Socinus* cogitur fateri:imo quo fines ſunt plures,eo à crudelitatis ſpecie longius abſceditur.Nam crudelis eſt qui fruſtra aut levi de cauſſa aliquem torquet. Adde jam quod finis hic ſatisfactionis ſive pœnæ ferendæ multo apertius,imo multo etiam certiore nexu cum morte Chriſti cohæret, quam iſti fines quos agnoſcit *Socinus*. Nam teſtimonium doctrinæ ſatis atque abunde præbere poterant miracula: gloria quoque cœleſtis conferri Chriſto non interveniente morte facile potuit : at pœnæ luendæ mors, talis præſertim , proprie accommodata eſt, & pœna ipſa pariendæ liberationi.

Quanquam vero hactenus oſtendimus Chriſti pœnâ Deo ſatisfactum, negare tamen nolumus vim ſatisfactionis eſſe etiã in ipſa Chriſti actione.Solet enim

ſæpe

sæpe etiam actio grata admitti velut in pœnæ compensationem. *Beneficium superveniens*, inquit *Seneca*, *injuriam apparere non patitur: De benef. lib. 6. cap.* 5. quo loco ostendit reddere esse rē pro re dare, & solutione non idem solvi, sed tantundem. Quamvis autem beneficium accipere Deus ἀνενδεὴς non potest, ipsius tamen summa bonitas qualecunq; obsequium quasi pro beneficio accipit. Sic *Achabus* pœnam temporalem lucrifecit Deum suppliciter venerando. Neque tantum sua actio alicui ad impunitatem solet prodesse, sed & alterius, qui cum ipse conjunctus est. Sic posteris *Davidis* propter ipsum *Davidem* pœna remissa est, 2 *Reg.* 8. 19. non tantum ob promissiones *Davidi* factas, verum etiā quia *Davidis* actiones Deo benigne eas æstimanti placuerant, 1 *Reg.* 11. 13. 2 *Reg.* 8. 19. & 20. 6. Sic *Æschylum* narrat *Ælianus* à pœna liberatum, quia frater ipsius *Amyntas* pro patria fortiter fecisset. Sic apud *Romanos Tito Quinctio* accusato profuit patris *Cincinnati* memoria. *Livius* de *Appio*, *majorum merita in rempublicā commemorabat, quo pœnam deprecaretur. Plantio Laterano* (inquit *Tacitus*) *mors remittitur ob patrui*,

patrui egregium meritum. Et in univerſum *Saluſtius: Si deliquêre, vetus nobilitas, majorum facta fortia præſidio adſunt.* Cicero: *Oportebit eum, qui ſibi ut ignoſcatur poſtulabit, majorum ſuorum beneficia, ſiqua extabunt, proferre.* Quintilianus: *Periclitantem commendant merita majorum.* Sicut autē opera temporaliter bona valent ad temporalem impunitatem, ita Chriſti opus perfecte & ſpiritualiter bonum ad liberationem à pœna æterna valuit. Quo illud ſpectat: *Per obedientiam unius, juſti conſtituuntur multi*, id eſt, juſtificantur, habentur quaſi inſontes, *Rom.* 5. 19. Et alterum: *Propter nomen ejus* (Chriſti ſcilicet, ſolius enim Chriſti, non autem Dei mentio præceſſerat, ſatente *Socino*, ac præterea hoc ipſum evincit ſimilis ſentētia. *Act.* 10. 43.) *Remittūtur nobis peccata*, 1 Joh. 2. 12. Certum enim eſt hac phraſi *propter nomen alicujus*, denotari cauſſam impulſivam: neque ullo Scripturæ loco diverſum *Socinus* evicerit. Quod vero de ſatisfactione jam diximus, eam primo quidem pœnæ, deinde vero ipſi etiam actioni obſequioſæ tribui, idem de placatione Dei, de redemptione noſtra, & de expiatione intelligi

Contra Soc. l. 2. cap. 25.

intelligi debet, ad quæ explicanda jam accinginur.

CAP. VII.

De placatione & reconciliatione per Christi mortem factâ.

NEquis arbitretur de sola voce disputationem institutam, satis cavit ipse *Socinus*, cum passim profitetur, à se non vocem nudam satisfactionis, sed rem ipsam ea voce expressam oppugnari. Itaque hæc omnia, Christus morte sua nobis Deum reconciliavit. Christus nos è manibus justitiæ divinæ sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans liberavit. Christus scelera nostra sua obedientia compensavit. Christus ut remissionem peccatorum nobis Deus largiretur digne commeritus est. Christus vitæ jactura Dei iram nobis placavit, non minus quam ipsam satisfactionis vocem repudiat. Neque tamen si de voce instituta esset disputatio, æquum foret Ecclesiam Scripturas interpretandi libertate fraudari, in qua hoc quoque est comprehensum, ea quæ aut Prophetæ *Hebraicis*, aut *Lib. 2. cap. 26.*

Apoſtoli *Græcis* vocibus, *Hebraiſmum* plerumque aut *Syriaſmum* redolentibus, elocuti ſunt, in alios ſermones quam commodiſſime transferre, aut quæ ad idem argumentum pertinentia diverſis locis tradidit Scriptura perſpicuo verborum compendio in ſummã redigere. Sic quod Scriptura dixit ob peccata morti traditum Chriſtum, & peccata, id eſt, peccatorum pœnas tuliſſe, fuſumque ſanguinem ad remiſſionem peccatorum, *Latinè* & ſignificãter exprimitur ſatisfaciendi vocabulo. Nam ea dictio in Jure & uſu communi ſignificat facti alicujus aut rei exhibitionem, ex qua non quidem ipſo facto, ſed accedente voluntatis actu liberatio ſequatur; ſoletq; non tantum in pecuniariis debitis, ſed & in delictis hoc ſenſu uſurpari: quod linguæ ex *Romana* depravatæ appellant, aliquem contentare. Ut autem appareat idem valentes locutiones, imo illas ipſas, quas rejicit *Socinus*, in ſacris literis reperiri, ad ea quæ ſupra in prima ſententiæ hujus explicatione ex ſacro codice deprompta ſunt, addemus alia quædam teſtimonia, eaque referemus ad claſſes quatuor. Prima claſſis erit earum locutionum, quæ iræ averſionem deſignant.

Altera

Altera earum, quæ liberationem per redemptionem seu pretio dato factam indicant. Tertia earum, quæ subrogationem innuunt. Quarta earum, quæ morti Christi vim adscribunt sacri expiatorii.

Ad primam classem ut accingamur, notissimum est irã alicujus avertere, id dici *Græce* ἱλάσκεσθαι, εἰρηνοποιεῖν, καταλλάσσειν, ἀποκαταλλάσσειν, *Latine* placare, pacare, conciliare aut reconciliare, item propitiare. Tum actus ipse, tum id quo proprie actus peragitur, *Græcis* ἱλασμὸς, *Latinis* placamen dicitur. In Deo ira, ut supra diximus, appellatur ἀνθρωποπαθῶς puniendi quasi affectus; quam Apostolus ait retegi sive revelari cælitus in omnẽ impietatem atq; injustitiam hominum, ut qui veritatem in injustitia detineant, hoc est, cognitis Dei mandatis reluctentur. Nemo autem excipitur, cum omnes simus natura filii iræ, hoc est, iræ divinæ obnoxii. Hæc ira super quosdam manet. *Joh.* 3. 36. super quos non manet, ab iis avertitur. Hanc aversionem Christus sua morte impetrat, ideoque placamen rectissime dicitur. Sic eum bis appellat *Johannes* Apostolus, cum dicit: *Si quis peccârit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum illũ innocentem:*

Et ipse est ἱλασμὸς pro peccatis nostris : neque vero pro nostris tantum, sed & pro peccatis totius mundi : Epist. 1. cap. 2. vers. 2. Item, *In eo sita est dilectio, non quod nos Deum dilexerimus, sed quod ipse dilexerit nos, & Filium suũ miserit ἱλασμὸν pro peccatis nostris*, cap. 4. v. 10. Cum quo loco conferendus est iste *Paulinus: Commendat Deus suam charitatem, quod cum peccatores adhuc essemus Christus pro nobis est mortuus*, Rom. 5. 10. Uterque enim tam *Paulus* quam *Johannes* eodem argumento probant, non priores nos dilexisse, sed dilectos à Deo: & quod *Paulus* dicit mortuũ esse, hoc *Johannes* vocat placamen esse factum. Addendus præterea locus ille *Pauli: Justificamur gratis per redemptionem in Christo Jesu, quẽ Deus proposuit ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius.* Factus est ergo Christus ἱλασμὸς sive ἱλαστήριον in sanguine suo: quod quid est aliud, quàm id ipsum quod negat *Socinus*, placatum à Christo Deum? Nam quod ἱλασμὸν apud *Johannem* expiationem interpretatur, expiationis autẽ voce peccati destructionem intelligit, id facit nulla de caussa, nullo munitus exemplo : ἱλάσκεσθαι apud *Græcos* Scriptores omnes, Poetas,

Lib. 1. cap. 20.

Poetas, Historicos, alios, est placare, soletq; construi cum accusativo designante personam, cujus ira avertitur. Nec aliter apud 70 Interpretes, & *Luc.* 18.13. usurpatur. Uno dũtaxat loco, qui est *Heb.* 2.17. dicitur Christus summus Sacerdos constitutus εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ: ubi est enallage ex *Hebraismo* veniens ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, cum usitate dici debuerit ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν. Significat ergo ibi expiationem, sed eam quæ fit placando. Alioqui hic vocis usus nihil haberet commune cum natura vocis ac perpetua ejusdem significatione. Quare talem expiationẽ, qualem *Socinus* comminiscitur, id est, peccati destructionem, quæ fit sine placamento, ista quidẽ vox ἱλάσκεσθαι & inde derivata ἱλασμὸς, denotare nõ potest; ἱλαστήριον autem apud *Paulũ* interpretatur *Socinus* id, in quo se Deus placatum ostendit. Nõ negamus posse hanc significationẽ voci congruere, ac tali aliqua ratione tegmen Arcæ apud scriptorem ad *Heb.* vocari ἱλαστήριον. Sed cũ ejus terminationis vocabula proprie vim quandam effectivam, improprie vero declarativam indicent, à proprietate nos hîc discedere nulla ratio patitur. Apparet enim Christũ ita apud

Lib. 2. cap. 6.

contra Soc. lib. 2. cap. 2.

Paulum dici ἱλαστήριον, ut apud *Johannē* ἱλασμόν. At ἱλασμὸς omnino significat placamen, non placationis testimonium: quare Scriptura Scripturam interpretante, vox quoque ἱλαστηρίου de Christo active, non declarative exponenda est. Accedit quod hoc ipsum ostendit vox adjuncta *sanguinis*, cui placandi vis tribuitur: quia χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Trita sunt,

Sanguine Placâstis *ventos & virgine caesa*;

Et similia apud Poëtas, de quibus infra accuratius agendi erit locus.

Contra Soc. l. 1. cap. 8. Similis placandi voci est vox καταλλάσσειν & ἀποκαταλλάσσειν, conciliare sive reconciliare, quam in hoc ipso argumento usurpat *Paulus*, *Rom.* 5. 10, & 11. & 2 *Cor.* 5. 18. & *Eph.* 2. 16. & *Col.* 1. 20. Opponit *Socinus* scriptum esse, non Deum nobis conciliatum, sed nos Deo, idque idcirco quia non Deus nobis iratus, ideoque placandus, sed nos à Deo aversi fuerimus. Verum quod sibi sumit, cum reconciliari qui infesto sit animo, non autem ipsi alterum, id minime verum est. Nam reconciliandi vox, ut & pacandi vox, promiscue utrivis parti, tum quæ infensa est, tum quæ neutiquã

aut

aut minus infensa est, modo dativum, modo accusativum assignat. Idem ergo valet nos Deo conciliari & Deum nobis. *Sopholes Ajace:*

Ἀλλ' οἴχεταί τι πρὸς τὸ κέρδιστον τραπεὶς
Γνώμης, θεοῖσιν ὡς καταλλαχθῇ χόλου.

Ubi *Chorus* id exprimit, quod ante *Ajax* dixerat,

Ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους
Λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ,
Μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλεύσωμαι θεᾶς.

Videmus hic manifeste καταλλάσσεσθαι Θεοῖς, Diis conciliari, idem esse quod iram ipsorum effugere. Et sane de hac reconciliatione, hoc est, divinæ iræ aversione, aut certe etiam de hac agi nemo negabit, qui locos ipsos modo citatos diligentius inspexerit.

Nam *Rom.* 5. *Paulus* suo more bis idem exprimens, quod ante dixerat, *pro impiis & pro peccatoribus mortuũ esse Christum*, vers. 6. & 8. mox his verbis enuntiat, *cum hostes essemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipsius*, vers. 10. Esse autem hoc beneficiũ prius ipsa conversione ex opposito membro apparet, si hæc inquit, ita se habent, *multo magis nunc justificati per ipsum ab ira servabimur*, vers. 9. Item, *multo magis*

reconciliati ſervabimur in vita ipſius. A majori procedit Apoſtolica argumentatio. Si tam bonus erga nos necdum converſos Deus fuit, quis futurus erga converſos? Non poteſt hîc vox conciliationis in membro priore converſionem denotare. Singulare enim aliquid in Chriſto Apoſtolus notat. Tale autem non eſt, peccatores convertere: neque enim convertuntur unquam niſi peccatores: ſed rarum planeque ſingulare eſt pro peccatoribus mori, & conciliare per mortem peccatores, cum pauciſſimi ſemper fuerint, qui pro amicis viris bonis mortem oppeterent, *verſ.* 7. Deinde converſio rectius vitæ Chriſti glorioſæ, quam morti fertur accepta: at reconciliatio iſta morti tribuitur diſtinctæ atq; diſcriminatæ à vita glorioſa, ut oſtendit dictionis τὸ ἀπέθανεν. Præterea ex poſteriore beneficio quale ſit prius datur intelligi. Poſterius quod converſis contingit, eſt pacem habere apud Deum, *verſ.* 1 *ſervari ab ira Dei*, verſ. 9. & 10. Hoc ipſum appellat Apoſtolus, accipere reconciliationem. *verſ.* 11. Quid hîc eſt aliud accipere reconciliationem quam accipere remiſſionem peccatorum? ut Scriptura loquitur, *Act.* 10. 43. & 26. 18.

18. At conversionem accipere ignotum est loquendi genus. Si ergo in posteriore membro accipere reconciliationem est accipere peccatorum reconciliationem, ipsoque effectu ab ira sive à pœna liberari, in priore quoque membro reconciliari significationem habere debet ἀνάλογον: ut prius beneficium sit jus ad rem, posterius ejusdem rei exhibitio. Adde his omnibus, quod non possit, nisi incommode aut inepte etiam dici charitas Dei ex eo colligi, quia nos ab odio Dei discesserimus. Nam etiamsi de conversionis nostræ beneficio agere voluisset Apostolus, erat id alia plane voce exprimendum, quæ non nostram, sed Dei actionem significaret. Nostra vero interpretatione nihil planius, nihil Apostolo proposito convenientius. Quod autem *Socinus* objicit, satisfactionis mentionem non esse hîc appositam, imo charitatis laudem per eam imminui, vanum est. Non enim satisfactionis fit mentio quatenus pœna est, sed quatenus modus nos liberandi. Neque potest, ut supra probavimus, ulla ratione manifestius ostendi Dei charitas adversum homines, quam quod iratus, id est, pœnas

expetens, nostræ tamen impunitati viam, Christo in id impenso, invenerit.

In loco 2 *Cor.* 5. circa finem, ut in illo ad *Romanos*, duplicis invenitur reconciliationis mentio. Prior reconciliatio est qua Deus omnia, sive mundum sibi reconciliavit per Christum, sive in Christo, *vers.* 18. & 19. Posterior est ad quã Apostoli, ut ministri reconciliationis, quibus impositus est reconciliationis sermo, homines adhortantur Dei ac Christi nomine, *vers.* 18, 19, 20. Prior ergo illa non potest esse ipsa conversio; est enim antecedens & materia præcipua ejus sermonis per quem fit conversio. Deinde *Paulus* ipse ostendit eam consistere in non imputatione peccatorum, id est, in decreto non imputandi. Non imputare autem peccata & remittere idem valent, *Rom.* 4. 6, 7, 8. Quomodo autem hoc non imputandi decretum in Christo fundatum est? Dicet *Paulus: Eum enim qui peccatũ non noverat pro nobis Deus peccatum fecit.* Quod objicit *Socinus*, non imputationem peccatorum pugnare cũ isto reconciliandi modo per satisfactionem, caret ratione. Nam, ut supra explicatum est, præcedit satisfactio; sequitur deinde remissio sive

non

non imputatio: ut jam taceam non absolute dici, Deum non imputare peccata, sed non imputare ipsis, hoc est, peccatoribus. Posse autem & huic peccatum remitti sive non imputari peccatum & alteri ob exemplum imputari, sive alterum eo nomine affligi atque puniri, tum ex multis, quæ supra allegavimus, tum imprimis ex eo quod *Davidi* contigit, satis apparet. Neque vero quia non verbis ἀμέσως cohærent, *Non imputans peccata.* Et, *Eum qui non noverat peccatum, peccatum fecit*; ideo non ad eandem rem ista pertinent. Conjunguntur enim ista inter se per voculas συνδετικὰς γὰρ & γάρ. Neque ullus novus, & ab hoc argumento alienus sermo intercedit: sed hoc dicitur, Deum beneficii à se præstiti legatos & ministros fecisse Apostolos: in hoc scilicet missos per orbem terrarum, ut ejus beneficii fidem hominibus prædicatione sua insererent. Ei autem fidei faciendæ argumentum validissimum est, à traditione Christi in mortem. Minime enim credibile est, voluisse Deum filium charissimũ & innocentissimum tam graviter affligi, nisi egregio aliquo fine sibi proposito. Hic autem finis, proprius inquam & cum isto facto proxime

proxime cohærens, Scriptura ubique & ipſa ratione aliquatenus κατ' ἐπαγωγὴν teſtante, alius eſſe vox poteſt, quam impetrandum jus veniæ per antecedentem ſatisfactionem. Illud vero, *Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo*, quanquam ex vocis natura poteſt ſignificare, aut odium in Deum abjicite, aut accipite remiſſionem peccatorum, (per pœnitentiam ſcilicet, ut oſtenditur *Mar.* 1. 4. *Luc.* 3. 3. *Act.* 3. 19. & 5. 31.) ex rei tamen natura de qua agitur, poſteriorem ſenſum rectius admittit. Neque enim ſolet infirmior rogari, ut potentiorem in gratiam recipiat: & illa *Pauli* verba exprimunt ipſum reconciliationis miniſterium, quam reconciliationem jamjam non-imputatione peccatorum deſcripſerat. Sic Chriſtus ipſe miſſum ſe dixit κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, *Luc.* 4. 19. & Apoſtolis præcipit κηρύσσειν ἐν ὀνόματι αὐτοῦ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Luc.* 24. 47. Sic ipſe *Paulus* dicit ſe καταγγέλλειν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Act.* 13. 38.

Eph. 2. 16. ſcribitur de Chriſto, ἵνα ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους (*Judæos & Gentes*) ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ. Hîc dativus Θεῷ non poteſt regi niſi à verbo ἀποκατα-

καλ-

καταλλαγὴν. *Socini* autem interpretatio, ut *Deo* hîc per se subsistat, aut reconciliare Deo sit reconciliare ipsos inter se ut Deo serviant, distorta est, dura & sine exemplo. Neq; valet argumentum inde ductum, quod eo loco *Paulus* proprie agat de pace facta inter *Judæos* & *Gentes*: neque enim sequitur ab hoc argumento alienam esse mentionem pacis quæ utrisque cum Deo comparata est. Duo enim diversa quæ junguntur, ita junguntur inter se, ut prius ac potius jungantur ipsi vinculo: neque enim junguntur inter se nisi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter se *Gentes* & *Judæi* per amicitiam cum Deo. Ac mirum est hoc non agnoscere *Socinum*, cum dicat ipse *Col.* 1. 20, 21, 22. Apostolum instituto sermone de parta inter creaturas cõcordia, statim καὶ ὑμᾶς subjicere mentionem reconciliationis ejus qua homines amici Deo sunt facti, & quidem interjecta voce καὶ, quæ non solet res nullo modo cohærentes connectere. Unde manifestum est esse hæc inter se conjuncta, ita ut recte *Paulus*, isto quo de agimus ad *Ephesios* loco, reconciliationem hominum cum hominibus ad reconciliationem hominum

cum

cum Deo, tanquam effectum ad cauſſam ſuam, retulerit. Illud addendum eſt, nominari eo ipſo in loco ſanguinem Chriſti, tanquam per quem effecta ſit reconciliatio. At ſanguini Chriſti paſſim Scriptura ſubjungit, tanquam effectum maxime proprium, peccatorum remiſſionem, *Matth.* 36. 28. *Eph.* 1. 7. *Coloſſ.* 1. 14. *Hebr.* 10. 22. *Rom.* 3. 23. *Rom.* 5. 10. 1 *Joh.* 1. 7. 1 *Pet.* 1. 2. *Apoc.* 1. 5. per vim ſcilicet placatricem, 1 *Joh.* 2. 2. & 4. 10.

Iſti ad *Epheſios* loco perſimilis mihi videtur is cujus jam injecta eſt mentio, ad *Col.* 1. 20. plane ut ad explicationem iſtius hunc potius adferendum exiſtimẽ quam illum, *Eph.* 1. 9, 10. Plurima enim congruunt; quod illic ſeparatim dicitur *per ſanguinem & per crucem*, hîc dicitur conjunctim *per ſanguinem crucis*. Ibi eſt πολῶν εἰρήνην, hoc εἰρηνοποιήσας: ibi, *ut reconciliaret ambos Deo*; hic, *reconciliare omnia in ſeipſum*, hoc eſt, in Deum. Hoc intereſt, quod ibi duntaxat mentio fiat de hominibus inter ſe conciliatis, quia conciliati erant Deo, hîc vero de hominibus conciliatis, & inter ſe & cum Angelis, ideo quia homines conciliati erant Deo. Εἰς αὐτὸν, omnino

nino est in sese, Deum scilicet, ut & *Syrus* interpretatur ל, hoc est, sibi. Nam si hoc vellent istæ voces quod *Socinus* vult, in unum, scribendum fuerat εἰς τὸ αὐτὸ, aut saltem εἰς αὐτὸ, non εἰς αὐτὸν, aut εἰς αὐτὸν quod ad personam certam necessario refertur. Neque novum est præpositionem IN cum accusativo poni vice dativi, cum apud *Hebræos* frequentissima sit particularum ב & ל permutatio. Quid quod ipso *Socino* fatente, usitata est apud *Græcos* phrasis προσλέγεσθαί τινα τοῖς ἔπεσιν? At εἰς in Apostolico sermone poni vice τῷ θεῷ negare nemo poterit, qui vel paucos locos diligenter inspexerit, quales sunt *Matth.* 15. 24. *Act.* 16. 40. *Eph.* 3. 19. earundemque vocum commutatio in profanis quoque Scriptoribus non raro occurrit. Quare verisimile non est, quod vult *Socinus*, hoc commate de sola agi creaturarum inter se conciliatione: sequenti autem commate de conciliatione hominum cum Deo. Contra enim quod universum dicitur *vers.* 20. id 21. ad *Colossenses* speciatim applicatur: quod notat vox καὶ ὑμᾶς, hoc est, *quin vos etiam*, sive *vos quoque ipsos*. In hoc vero commate nō id dicitur quod ait *Socinus*, reconcilia-

liationem factam nos inculpatos reddendo: ſed reconciliatos nos ut redderemur inculpati. *Socinus* ex fine modum fecit, ſane prælicenter. Paſſim indicat Scriptura remitti nobis peccata, ut in poſterum ſancte vivamus tanto beneficio obligati, *Luc.* 1.74. Et notandum in hoc quoque commate corporis Chriſti fieri mentionem, quod quidem pro nobis fractum eſt, in remiſſionem peccatorū, 1 *Cor.* 11.24. *Mat.* 26.28. & mortis, cui ſimiliter remiſſionem tanquam effectum paſſim tribui jā ante oſtendimus. Quod autem addit Apoſtolus, reconciliatos nos eſſe cum alienati & inimici mente eſſemus, ſimile eſt ei quod alibi dixit, Chriſtum pro nobis, cum peccatores & impii eſſemus, mortuum eſſe, *Rom.* 5.6, 8. & Deum eſſe qui juſtificet impium, *Rom.* 4. 5. Quare hic quoq; de eodem agi beneficio eo juſtius creditur, quia initium, quo in hunc ſermonem Apoſtolus devenerat, hoc fuit, habere nos in Chriſto redemptionem, peccatorum ſcilicet remiſſionem. Et profecto non poteſt rectius intelligi, quantū nos Deus amaverit & Chriſtus, quantumque nos Deo & Chriſto debeamus, quam ſi conſideremus nobis ſub ira adhuc Dei conſti-

stitutis, & peccatorum reis, remissionem peccatorum primo impetratam, deinde & applicatam; quæ duo plerumque conjungit Scriptura. Quod autem alio loco dicit *Socinus*, oportuisse Deũ nobis esse placatissimum minimeque iratum, antequã Christus mitteretur ad fœdus pangendũ: id quam sit à vero alienum alibi ipse videtur agnovisse, cum Deum statuit eo ipso momento, cum ad amicitiam redintegrandam nobis conditiones offerret, fuisse animo non placato, sed placabili. Et profecto hoc ipsa dictat ratio. In omnibus enim conditionatis conditionalia priora sunt absolutis. Neq; vero conditio offerri, sed & impleri debet, antequã sequatur actus absolutus. Quare pacem apud Deum habere nos dicit Scriptura, postquam per fidem sumus justificati. *Rom.* 5. 1. Antea sumus iræ filii, *Eph.* 2. 3. peccata enim nostra caussa sunt separationis, hoc est, Deum à nobis aversum faciunt. *Esai.* 59. 2. Hæc ira excludit pacem sive amicitiam: non autem qualemcunque dilectionem generaliter dictam: ut apparet *Joh.* 3. 16. & 1 *Joh.* 4. 10. Et sane peccata remitti hominibus ante pœnitentiam, ne *Socinus* quidem sentit: placatus autem

Lib. 1. *cap.* 7.

Lib. 1. *cap.* 8.

tem actu, aut qua voce *Socinus* utitur, placatissimus, dici non potest qui adhuc imputat peccata. Quæ res ut clarius intelligatur, distinguenda sunt omnino tria, ut ita dicam, momenta divinæ voluntatis. Primum est ante Christi mortem positam, aut reipsa aut in Dei decreto & præscientia. In hoc momento iratus peccatori est Deus, sed ita ut non aversetur omnes iræ deponendæ vias ac rationes. Secundum momentum est posita jam Christi morte: in quo Deus jam non constituit tantum, sed & promittit iram se depositurum. Tertium est, cum homo vera fide in Christum credit, & Christus ex fœderis formula credentem Deo commendat. Hic jam Deus deponit iram, hominemque in gratiam recipit. Cum vero verba activa & passiva iisdem respondentia duplicem soleant habere significatum, aut ut intra vim atque efficaciam consistant, aut ut effectum simul includant, sequitur in primo momento neutrum horum locum habere; itaque ejus respectu Deum dici posse tantum placabilem: in secundo & tertio recte dici eum placari, distinctis duobus quos jam indicavi sensibus. In priore sensu dicitur, *Deus mundum sibi*

in

in Christo conciliasse: &, *Nos Deo reconciliati cum hostes essemus*: in posteriore illud, *conciliamini Deo*: &, *reconciliationem accepimus*. Eademque vocum redemptionis & expiationis, & ejus locutionis, qua Christus interdum pro omnibus, interdum pro aliquibus mortuus dicitur, est ratio. Illud postremo notandum est, vocem reconciliationis non excludere satisfactionem sive præstationem omnem & impendium. Nam apud *Livium* est; *ut eo munere reconciliaret sibi civium animos*: & alibi passim similia occurrunt: ut eo quidem nomine nihilo minus reconciliator noster Christus dici debeat: quod ipsum quoque monstrat Scriptura, cum reconciliationi addit mentionem sanguinis.

CAP. VIII.

De redemptione nostra per Christi mortem facta.

AD secundam testimoniorum classem, quæ de redemptione est, ut veniamus, ante omnia ponendum est extra controversiam, redemptionem similesque voces in sacris literis aptari ad libe- *Contra Soc. l. 2. c. 1, 2, 3.*

liberationem noſtram à pœna commerita, quod ita eſſe apparet *Gal.* 3. 13. *Rom.* 3. 24. & præcipue *Eph.* 1. 7. & *Coloſſ.* 1. 14. neque diffitetur *Socinus*. Quin & illi loci, qui nos ab iniquitate & vana converſatione dicunt redemptos, ut *Tit.* 2. 14. & 1 *Petr.* 1. 18. eôdem pertinent, cum peccatum pro peccati pœna poni ſit receptiſſimum: idque in loco ad *Titum* addita vox ἀπολύτρωσις, id eſt, expiatio, quam infra explicabimus, & in *Petri* loco *agni*, hoc eſt, victimæ mentio apertum faciunt. Hanc redemptionem morti Chriſti tanquam cauſſæ aſcribi, cum paſſim teſtetur Scriptura, ut *Eph.* 1. 7. *Rom.* 3. 24. *Hebr.* 10. 12. ne id quidem inficiari potuit *Socinus*. Sed quomodo cauſſa redemptionis ſit mors Chriſti, id eſt, de quo quæritur. Nos enim ideo cauſſam redemptionis eſſe mortẽ Chriſti dicimus, quod ea Deum moverit, ut nos à pœna liberaret: idipſum vero negat *Socinus*. Quanquam vero ſi quid eſſet ambigui in his teſtimoniis, in quibus redemptionis fit mentio, ſatis eſſet iis interpretandis alia ejuſdem argumenti loca afferre, qualia multa citavimus, quæ Chriſtum ob peccata noſtra mortuum, pœnas pro nobis tuliſſe, & ſic im-

Cap. 10.

impetrasse nobis peccatorum remissionem, Deo scilicet per ipsius mortem placato, non obscure significant, confidimus tamen eandem sententiam satis aperte ex iis etiam locis, quæ redemptionis vocem similesque alias usurpant, posse comprobari. Duplex autem in Scriptura φέσις occurrit, altera, quæ delictorum redemptionem nominat, altera quæ nostram, diverso loquendi genere, at significatu eodem.

Prior illa φέσις *Hebr.* 9. 15. ubi Christi mors dicitur peracta εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων. Hoc autem loquendi genere ἀπολυτροῦν τὰς παραβάσεις, aut *Latine*, culpas, delicta, crimina redimere, non tantum significari caussam moventem ad liberandum, sed talem etiam, quæ compensationem aut satisfactionem includat, tam manifestum est, ut fateri id quoque debuerit *Socinus*. Cum hæc ergo istius locutionis usitatissima sit significatio, non licet inde nobis recedere, nisi duo probentur, interdum, etsi minus frequenter, aliud ea locutione significari, & caussam hîc esse justam, cur infrequentior significatio frequentiori præferri debeat. Horum neutrum à *Socino* probatur. Nullum enim

enim adfert locum aut sacri aut profani Scriptoris, ubi ἀπολυτρῶν τὰς παραβάσεις, redimere peccata, culpas, offensas, aliud quidpiam ab eo quod diximus, designet, In gnoma *Salomonis*, *Prov.* 16.6. est vox *Hebræa* כפר, quæ voci *Græcæ* ἀπολυτρῶν proprie non respondet: quod ipsum quoque *Socinus* agnoscit, cum ait expiationem potius quam redemptionem ea voce designari. Addi potest nativam maxime significationem ejus vocis esse, obtegere, atque inde ad alia similitudine quadam produci. Neque vero sequitur, si vox כפר, quæ apud *Hebræos*, ut multæ aliæ, ob primitivarum vocum in ea lingua penuriam, est πολύσημος, ita ut cum alia, tum ἀπολυτρῶν quoque possit significare, ideo & vicissim *Græcum* ἀπολυτρῶν omnes habere significationes quas habet כפר, cum vocis ἀπολυτρῶν simplex sit usus apud *Græcos* origini suæ respondens, alias autem significationes vocis כפר aliæ *Græcorum* voces exprimant. Apud *Danielem* 4. 24. est vox *Hebræa* פרק, quæ voci *Græcæ* ἀπολυτροῦν minime ἰσοδυναμεῖ: sed & proprie & frequenter significat conterere, frangere, avellere: & propter hoc postremum, etiam liberare. Quanquam etiamsi redimere hoc lo-

co

o cum veteribus interpretemur, nihil os coget hanc vocem sumere extra eam quam defendimus significationem. Moretur enim Deus pœnitentiæ fructibus ut inhibeat pœnas temporales, ut antea quoque notatum est.

Altera vero locutio, quæ personam redemptam indicat, sæpissime in sacris literis nostro argumento accommodata invenitur, ut *Rom.* 3.24. *Eph.* 1.7. & alibi. In *Græco* est verbum λυτροῦν & ἀπολυτροῦν, & hinc verbale λύτρωσις & ἀπολύτρωσις. Quæritur, hic actus Christo proprie, an improprie tribuatur. Redemptionem, hoc est, ἀπολύτρωσιν (nam alioqui vox redimendi *Latinis* est πολύσημος) propriam, definit *Socinus*, liberationem captivi è manibus detinentis, pretio detinenti dato: nimis anguste. Nam vocis & natura & usus non ad captivitatem solam restringitur, sed ad omne genus incommodi, ut & liberationis vocabulum. Rectius ergo definias; Ἀπολύτρωσις, sive redemptio, est liberatio alicujus ab incommodo, λύτρῳ intercedente. Sic *Maro* redemptionis vocem proprie usurpavit, cum dixit,

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Libe-

Liberatur *Castor* à morte perpetua λύτρῳ intercedente, morte fratris alterna. Improprie vero ἀπολύτρωσις & redemptio qualemcunque liberationem significat, etiam cui λύτρον non intercedit. Sed ut *Socinus* fatetur, & jura nos docent, non est nisi gravibus de caussis recedendum à verborum proprietate. In dubio ergo ἀπολύτρωσις intelligenda est fieri λύτρῳ intercedente. Sed nunc ne dubitandi quidem est locus, cum Scriptura ipsum λύτρον aperte nominet. *Venit enim filius hominis dare animam suam* λύτρον *pro multis*, Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. cum quibus locis illi conjungendi sunt, qui per mortem, aut in sanguine factam testantur redemptionem, ut *Hebr.* 9. 12.

Lib. 2. cap. 2. Hi loci cum valide *Socino* refragarentur, nihil aliud comminisci potuit, quam ut diceret λύτρον sive pretium hîc dici improprie. Proprie autem dictum λύτρον seu pretium definit, id quod à detinente accipitur. Hîc primum id quod modo diximus repetendum est, non debere deseri proprietatem, nisi res urgeat; at caussas comminiscendæ improprietatis *Socinus* si quas attulit, eas à nobis, *cap.* 4, 5, & 6. solutas confidimus. Nam *Mosis* cum Christo institu-

instituta collatio, responsione vix indiget, cum omnis similitudo certos habeat terminos, quos extra protendi nequeat. Comparantur illi, qua liberatores, non ob liberandi modum. Neque magis ex eo sequitur, Christum satisfaciendo nos non liberasse, quia *Moses* id non fecerit, quam Christum nos liberasse per hostium mortem, quia id fecerit *Moses*. Quod si ad modū quoq; liberandi comparatio pertineret, ea ut rectius procederet, dicendum esset, Christum nos liberasse miraculis, (ut *Moses*) non autē sua morte, suoq; sanguine, quod *Mosi* nec adscribitur, nec adscribi potest. Sed præcipuum est, quod vox λύτρου, de cujus vi hîc agimus, liberationi per Christum partæ additur à Scriptura, liberationi per *Mosen* partæ nusquā additur. Quid quod ne ex *Socini* quidem sententia modus liberandi idē est? Nam *Moses*, *Josue* & alii liberarunt, nō aliquid faciendo circa liberandos (quod Christo *Socinus* tribuit) sed amovēdo eos qui libertati obstabant, hostes sc. Retinenda est ergo ἀντιλύτρωσις: definitione tamē *Socini* nonnihil correcta: ut proprie λύτρον sit res aut factum, quo movetur quispiam ut aliquē incommodo alioqui affecturus, eo liberari pa-

tiatur. Quod λύτρον definimus factum aut rem, in eo nobis cum *Socino* nõ disconvenit, qui fatetur proprie dici λύτρον sive pretium, non pecuniam modo, sed omne id quo alteri satisfit. Sed immerito ille λύτρον ad solam captivitatem restringit, cum & servituti, & exilio, & morti, & omni incommodo, à quo liberari possumus, ea vox conveniat. Nam & origo, λύω scilicet, ad ea quoq; pertinet, & communis usus non refragatur. Illud quoque non probamus, quod λύτρον proprie dictum omnino velit ab aliquo accipi. Nã si vox accipiendi rigide sumatur, ut in definitionibus fieri solet, aptari factis nõ potest, sed rebus solis. At factis quoq; potest satisfieri & liberatio impetrari. Atque hoc præcipue apparet in ea liberatione, quæ fit per pœnæ translationẽ. Pœnam enim proprie non accipi à quopiam, ex iis apparet quæ supra dicta sunt, ubi ostendimus in pœna neminem esse proprie & naturaliter creditorem. Præterea acceptionis vox proprie sumpta, si non dominii translationem, certe utilitatẽ aliquam accipientis indicat. At in pœna non spectatur propria utilitas punientis, sed bonum commune & ordo rerum. Acceptor ergo hic nullus est, nisi

libeat

libeat admodum improprie acceptorem dicere judicem, tanquam juris & æqui ac boni communis curatorem. λύτρον nihilominus proprie locum habet & in pœna. Ita *Zaleuci* oculus λύτρον fuit oculi filii: & in decimatione qui puniuntur λύτρον sunt totius legionis. *Latini* veteres, quorum lingua tota *Græca* erat depravatio, litera una interposita, λύτρον lustrum dixere, & λυτρεῖν lustrare. Lustrare ergo urbē est eam à pœna liberare per lustrum, hoc est, per pœnam succedaneā, quod & piaculum dicitur. Sic ex fatua *Gentium* opinione, *Decii* lustrarunt *Romanum* exercitum: *Thebas* olim *Menœceus*, de quo mater apud *Papinium*,

Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
Devotumque caput, vilis cen mater alebam?

Ad quem locum *Lactatius*, aut quisquis ille est scholiastes vetus: *Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est.* Lustrare dixit, quod *Cæsar* dixerat placare Deorum immortalium numen. Est ergo idem in pœnis placamen & lustrum, *Græce* ἱλασμὸς & λύτρον: quæ ut *Pagani* in re falso credita, ita in re vere credita Apostoli sensu eodem usurpant.

Itaque in Epiſtola ad *Hebræos* pro eodem ponuntur λύτρωσις & καθαρισμὸς, ut apparet *cap. 9. verſ.* 12, 14, 15, 22, 23. Neq; vero ex eo tantum infertur, λύτρον in hoc argumento ſumendum proprie, quia nulla efficax ratio nos cogit ad improprietatem deſcendere, ſed hinc etiam multo magis, quod neque ex profano, neq; ex ſacro Scriptore locus ullus profertur, in quo λύτρον ſignificatio extra deſcriptionem à nobis poſitam porrigatur. E *Græco* locum nullum profert *Socinus*, ex *Hebræo* unum duntaxat, *Prov.* 13. 8. in quo eſt כפר. Sed præterquam quod latius poteſt patere כפר quam λύτρον, quia λύτρον eſt à λύειν, quod liberare ſignificat, cum כפר, ut ſupra diximus, verbum ſit πολύσημον, non poteſt ullo argumento probari iſto in loco voce כפר aliud deſignari quam id quod nociturum movere poteſt ne noceat, ſive ille potentiam & affectum nocendi tantum habeat, ſive inſuper jus etiam & poteſtatem. Simile enim eſt *Salomonis* iſtud; כפר, aut ſi ita placet, λύτρον *viri ſunt divitiæ ejus*; iſti ſententiæ apud *Jobum* 2. 4. *quicquid habet aliquis, id pro vita ſua daturus eſt.* Eſt enim hic inter cætera divitiarum uſus, quod multorum iram

aut

aut justam aut injustam possunt placare, atque ita noxam imminentem avertere; juxta illud,

Munera, crede mihi, Placant
homineſque Deoſque.

Ac plane est in ista gnoma commodorum, quæ secum fert utraq; fortuna, elegans comparatio: Dives habet quo placet iratum; Pauper iræ alienæ minus est obnoxius. Quod si maxime verum esset, λύτρον accipi posse pro qualicunque impendio, etiam quoad liberandum nemo moveatur, (quod nullo exemplo probatum est) tamen vox ἀντιλύτρου, qua *Paulus* utitur, 1 *Tim.* 2. 6. significantior est, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim ἀντὶ, in compositione aut contrarietatem, aut commutationem significat. Hîc contrarietas locum non habet: significatur ergo compensatio. Neque alia forma *Græce* dicuntur ἀνθύπτυχοι, qui pro altero morti se devovent, ut ipsum liberent. Sic ἀντίλυτρον est tale λύτρον, in quo liberator simile quiddam subit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur: estque egregia ejus vocis quasi ἀφέλεια, *Galat.* 3. 13. *Christus* ἐξηγόρασεν, *redemit nos ab execratione, factus*

pro nobis exſecratio: de cujus loci ſenſu ſupra egimus. Ad hæc accidit, quod ſanguinem Chriſti *Petrus* auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo ipſo qua pretium eſt, 1 *Petri* 1.18. Solent autem aurum & argentum eſſe vere pretium, non figurate: quare & ſanguis æque aut multo etiam magis vere ſit pretium, neceſſe eſt. Eſt autem pretium id cujus impendio res aut jus aliquod acquiritur: eaque eſt pretii natura, ut ſui valore aut æſtimatione alteram moveat ad concedendam rem, aut jus aliquod, puta impunitatem. Addi his poſſunt illi loci, qui oſtendunt à Chriſto datam carnem ſuam, aut ſeipſum, pro vita mundi, & ut nos liberaret, *Joh.*6.51. *Tit.*2.14. Eſt enim hæc phraſis, dare aliquid propter aliquid, vero pretio accommodatiſſima.

Socinus hæc, aliaque loca plura, in quibus mors aut ſanguis Chriſti pretiũ liberationis noſtræ vocantur, aliter eludere non poteſt, quam ut dicat, eſſe quidem effectum mortis Chriſti liberationem noſtram à pœnis (de liberatione enim à ſervitute peccati hîc agendi non eſt locus) ſed quoad nos, non quoad Deum; id eſt, non Deum per eam adduci

duci ut nos liberet, sed nos ut ad liberationem perveniamus. Sed hoc effugium tum ea quæ diximus, tum alia multa ei præcludunt. Primum enim vox λύτρε, multoque magis ἀντιλύτρε, ejus sunt naturæ, ut rem denotent, cujus prior sit effectus circa liberatorem, quam circa liberatum. Deinde, quanquam emere interdum sumitur pro acquirere simpliciter, ut vendere pro mancipare, tamen addita voci emptionis vox pretii (ut 1 *Cor.* 6. 20. & 7. 23.) propiorem similitudinem requirit. Est enim pretii maxime proprium, ut ab aliquo tanti æstimetur, quanti res. Præterea Apostolus ἀπολύτρωσιν exponit per ἱλασήριον, *Rom.* 3. 24. Est autem ἱλάσκεσθαι actus, qui versatur circa liberatorem prius, quam circa liberandum. Et alibi *Hebr.* nempe 9. 12. λύτρωσις exponitur per καθαρισμὸν, id est, expiationem: de cujus vocis vi postea agemus. His adde, quod cum effectus alicui rei tribuitur admodum frequenter, atque ita ut nusquam inveniatur tributus rebus aliis (quemadmodum effectus redemptionis ad mortem & sanguinem Christi refertur, *Gal.* 3. 13. *Mat.* 20. 28. *Marc.* 10. 45. *Tit.* 2. 14. *Heb.* 9. 15. *Apoc.* 5. 9. & 20, 28. *Rom.* 3. 24.

*Eph.*1. 7.) tum neceſſe eſt finem proprium magis & propinquum, quam communem & remotum intelligi. Ac circa nos effectus liberationis & multis gradibus eſt remotus à morte Chriſti & adeo non proprius, ut aliis rebus, quibus aſcribi non ſolet, multo magis conveniat. Quicquid enim *Socinus* de nexu liberationis noſtræ cum morte Chriſti loquitur, ita ſummatim explicari poteſt. Liberatio (ut ipſe ſentit) ex ſanctimonia vitæ ſequitur: ſanctimonia ex ſpe præmii: ſpes primo ac potiſſimum ex reſurrectione naſcitur: morti autem tribuitur, aut qua via eſt ad reſurrectionem, aut qua reſurrectioni conjuncta ac comparata ſpem eandem confirmat.
*Lib.*2. *cap.*3. Unde ſequitur, fatente etiam *Socino*, multo magis liberari nos reſurrectione Chriſti quam morte: imo, ſi verum agnoſcimus, mors iſti effectui non niſi per accidens cohæret: quia reſurrectio fidem nõ facit, niſi qua eſt pars gloriæ Chriſti: at gloria ſumma Chriſto etiam non mortuo potuit contingere: quod autem Chriſtus patiendo exemplum nobis quod ſequeremur præbuit, id ad remiſſionem peccatorum, quæ Chriſto non contigit, aptari omnino nõ poteſt. Quo ergo

ergo illa toties repetita mortis mētio in hoc redemptionis negotio? Duo adfert *Socinus*; primum quia in morte est impendium aliquod, quod non est in resurrectione, ideoque mortis mentio redemptioni est aptior: deinde quia charitas Dei & Christi in morte magis indicatur. Ad primum quod attinet, eodem relabimur. Nā si ex morte Christi per se liberationis nostræ effectus non est consecutus (quæ est ipsius *Socini* claris verbis edita professio) nihil opus erat Christum & Apostolos aut redemptionis aut pretii meminisse, præsertim toties; cum liberatio aliis verbis commodius posset explicari. Altera vero illa consideratio, ut ad illas pertineat sententias, quæ charitatem Dei commemorant, ad alias certe quæ non hoc agunt, & ad ipsam redemptionis vocem explicandam parum commode adfertur. Omitto jam, quod ne ostenditur quidem charitas ea re, quod boni nostri non tam causa fuerit, quam nuda occasio. Putat se *Socinus* nostram sententiam premere cum dicit, ita de redemptione per Christi mortem facta agere Scripturam, ut quiddam apertum ante oculos ponat, non autem ut occul- *Lib. 3. cap. 3.*

tam quandam indicet virtutem, qualem esse eam putat, quam nos ex Scriptura deducimus: sed hoc cum dicit nos non vulnerat, & in se potius telum submini-strat. Ea enim quæ sunt Dei, quis novit, nisi spiritus Dei, & cui ille voluerit re-velare? 1 *Corinth.* 2. 10. 11. At mortem Christi in hoc à Deo procurari, ut de ipso pœnæ peccatorum nostrorum exi-gerentur, & ipse λύτρον nostrum fieret, dixerat multo ante *Esaias*, dixerat Chri-stus ipse, nec aliud adumbrarant sancti ritus in prisco fœdere: ita ut qui ad ista attenderet, non posset Dei circa hoc ne-gotium voluntatem ac decretum igno-rare; ut jam taceam, ipsam quodammodo naturam loqui, mortem esse peccati sti-pendium. Hac Dei voluntate ex oraculis cognita, colligitur deinde ingens Dei erga nos charitas, ut *Joh.* indicat 1 *Epist.* 4. 10. & *Paulus*, *Rom.* 5. 10. Nec aliud est quod voce μαρτυρία indicatur, 1 *Tim.* 2. 6. ut ex his quæ antecedunt *vers.* 4. promptum est cognoscere. Et hæc qui-dem sine ullo quærendi labore ipsa ver-ba sacræ Scripturæ simpliciter intellecta secum ferunt: cum istam liberationis ex morte consequentiam, quam per tot gra-dus, ac tam varie deducit *Socinus*, adeo

ex

ex ipsis Scripturæ verbis nemo possit colligere, ut nec ex *Socino* quidem facile possit intelligi, quem esse in istis locutionibus proprium Scripturæ sensum velit.

Probata ergo est à nobis vera redemptio, sicuti modo probata est vera placatio. Utrovis autem horum probato, probatum est id quod intenditur, nos scilicet liberatos pœna Christi, quam ob peccata nostra penderit: non quod omnis redemptio, aut reconciliatio talis sit, sed quòd subjecta materia aliam non admittat. Inane ergo est, & abs re alienum, quod aliquoties dicit *Socinus*, tum placari aliquem posse, etsi nihil præstetur, tum redimi aliquem vere posse, qui nihil debeat, ac proinde citra solutionẽ. Nos enim de ea agimus placatione & redemptione, quam rei alicujus præstatione, morte scilicet fieri Scriptura indicat, & de redemptione, qua nos à pœna commerita liberari eadem Scriptura testatur. Talis autem præstatio, quæ debitorem pœnæ à pœna liberet, & recte & proprie satisfactio appellatur: quod videns *Socinus*, ut satisfactionem tolleret, placationem quoque & veram redemptionem sustulit.

Libet

Libet hîc obiter in alia quædam animadvertere, quæ non quidem dum argumentum tractat redemptionis, ad hoc tamen argumentum pertinentia, alibi
Lib. 1. cap. 7. disſeruit. Μεσίτης vocem in ſacris Literis nihil aliud vult ſignificare quã Dei Interpretem. Mihi aliud plane perſuadent loci duo: alter 1 ad *Tim.* 2. 5. ubi unus dicitur Μεσίτης Dei & hominum Jeſus Chriſtus, qui ſe dederit ἀντίλυτρον pro omnibus. Alter vero *Heb.* 9. 15. ubi novi fœderis Μεσίτης dicitur Chriſtus, ut morte intercedente ad redemptionem tranſgreſſionum, vocati vitam æternam adipiſcerẽtur: quibus merito addatur tertius *Heb.* 12. 24. de quo infra agetur. Apparet hîc τὸ μεσίτευμα ſtatui in ipſa redemptione, aut etiã in iſta. Neque vox repugnat. Nam ad μεσίτης officium nõ minus pertinet hominum vice apud Deũ fungi, quam Dei vice apud homines. Neque apud ineruditos tantũ, ſed & apud eos, qui elegantius loquuntur, μεσίτης dicitur is, qui placat aliquem. Unde *Suidas* eam vocem voce ἐξιλωτηρίου interpretatus eſt.

Alibi dicit *Socinus*, perſonæ dignitatem nihil facere ad pœnæ æſtimationẽ,
Lib. 3. cap. 4. atque adeo divinam Chriſti naturam & ſummam ipſius perfectionem ad pœnæ va-

valorem nihil afferre ponderis. Nos vero aliter credimus: nempe pœnam hanc inde fuisse æstimandam, quod is qui pœnam ferebat, erat Deus, etsi eam non ferebat qua Deus. Huc enim spectat illa locutio, qua Deus dicitur acquisivisse Ecclesiam *Proprio* sanguine, *Act.* 20. 28. Quomodo & alibi Dominus gloriæ crucifixus dicitur, 1 *Cor.* 2. 8. Personæ quoque totius, hoc est, Christi dignitas, non parum ad hanc æstimationem contribuit: ideo ἐμφατικῶς in Scriptura dicitur sanguis Domini, 1 *Corinth.* 11. 27. sanguis Christi, *Hebr.* 9. 14. sanguis Jesu Christi filii Dei, 1 *Joh.* 1. 7. Venit in eandem æstimationem & perfectissima Christi innocentia ac sanctitas. Hinc pretiosus dicitur sanguis, utpote agni inculpati, 1 *Petr.* 1. 19. allusione facta ad morem, non *Hebræis* tantum, sed & *Gentibus* receptum, ut sacris adhiberentur pecudes candore, omnique corporis forma præstantes, quæ quod à toto grege eximerentur, inde vocabulo nato in sacris, sed mox ad profana translato, eximiæ dicebantur. Eôdem & ista pertinent: *Justificabit servus meus justus multos*: Esai. 53. 11. *Eum*

qui

qui peccatum non novit, fecit peccatum, 2 Cor. 5. 21. Quod autem *Socinus* argumentatur, quia divinitas ipsa non patiatur, ideo hanc in pœnæ considerationem non venire, perinde est ac si dicas, nihil referre privatum an Regem, item ignotum, an patrem verberes, quia verbera in corpus dirigantur, non in dignitatem aut cognationem; cui crasso errori jamdudum occurrit *Aristoteles*. Commune etiam judicium à *Socino* dissentit. Nam populi, quorum instituta maxime laudantur, pœnas æstimarunt ex personarũ dignitate, & attributis aliis. Quare ex *Romanorum* legibus, quas constat æquitatis esse plenissimas, pœnæ variantur pro conditione personarum, atq; ea vera æqualitas creditur, si inæquales inæqualia patiantur. *L. Moris. parag. istæ. L. in servorum.* & *L. Aut facta parag. persona. L. Capitalium parag. ult. D. de pœnis. L. 1. parag. ult.* & *L. Qui cædem. D. Ad. L. Corneliam de sicariis. L. ult. parag. 1. D. de incendio. L. 3. D. de Privil. vet. L. ult. D. de sepul. viol. L. 1.* & *ult. D. de furib. balneariis.* Neque aliter statuisse gentes alias sapientiæ nomine celebratas, ab his qui de Republica scripserunt, abunde demonstratum est

Pro-

Probantque id ipsum juris *Romani* interpretes.

CAP. IX.

Quid sit Christum pro nobis esse mortuum.

IN tertia classe posuimus ea testimonia, quæ subrogationem indicant, ut cum Christus dicitur pro omnibus mortẽ gustasse, *Hebr.* 2. 9. mortuus pro populo, *Ioh.* 11. 50. passus pro nobis, 1 *Pet.* 2. 21. pro nobis impiis & peccatoribus mortuus, *Rom.* 5. 7. 8. Unus pro omnibus mortuus. 2 *Cor.* 5. 14. Receptum est in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut passus est vice ac loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicatur. Sic apud *Terentium* est: *Pro illo te ducam: Ego pro te molam.* Neque hæc phrasis personis tantum accommodatur, sed & rebus: dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur, ponitur, aut habetur. Declinat hanc interpretationem *Socinus* ambiguitate voculæ *pro*, quæ sæpe utilitatem duntaxat alterius significat: quod de *Latina* voce verum est, ut & de *Græ-*

contra Soc. lib. 2. cap. 8.

ca ὑπέρ. Sed vocula ἀντὶ, quæ reperitur apud *Matth.* 20. 28. & *Marci* 10. 45. hanc significationem plane repudiat: & commutationem requirit. Sic dicitur reddi κακὸν ἀντὶ κακοῦ, 1 *Petr.* 3. 9. *Rom.* 12. 17. ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδὰς ἀντὶ ὀδόντος, *Matth.* 5. 38. Sic dari ὄφις ἀντὶ ἰχθύος, *Luc.* 11. 11. τὸ περιβόλαιον ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, *Hebr.* 12. 16. κόμη ἀντὶ περιβολαίου, 1 *Corinth.* 11. 15. Quoties vero personis applicatur ea particula, significat alterum successisse in alterius locum. Sic *Archelaus* in *Judæa* regnasse dicitur ἀντὶ Ἡρῴδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, hoc est, ipsi in regnum successisse, *Matth.* 2. 22. Sic *Petrus* jubetur dare stateren pro se & Christo, *Matth.* 17. 27. quia ipse unus in ea actione duorum vicem sustinebat. Neque aliter apud profanos Scriptores εἷς ἀντὶ πολλῶν, & similia. Constrictus hîc *Socinus* negare non audet illo ἀντὶ πολλῶν commutationem quandam indicari; sed misere effugium quærit. Cum de redemptione agitur, inquit, locus est isti præpositioni ἀντὶ, etiamsi captivus nihil pro redemptione debeat. Verum hoc est, sed præter rem. Non enim ex voce ἀντὶ directe inferimus solutionem: sed inde colligimus vice nostra Chri-

stum

ſtum mortuum, hoc eſt, niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos fuiſſe morituros, & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non morituros morte æterna. Omnino enim vox ἀντὶ juncta perſonæ, & verbo δοῦναι, requirit ut perſona in genitivo indicata idem in genere aut ſpecie datura fuerit, quod nunc alius dedit. Neque refert, juréne, ut in nexu ob debitum, an injuria, ut in capto à prædonibus. Hoc vero poſito, futurum ſcilicet ut nos morte afficeremur, ni mortuus eſſet Chriſtus, ſolutio deinde recte colligitur ex ipſa rei natura. Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure: non injuria: mortem enim commeriti eramus; jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipſum alter à debito liberetur, eſt ſolvere aut ſatisfacere. Commutationem ergo illa locutio δοῦναι ἀντὶ πολλῶν veram indicat, ut ſemper: non metaphoricam, quam *Socinus* ſine exemplo comminiſcitur.

Ad alteram vero præpoſitionem ὑπὲρ quod attinet, primum notandum eſt

est illam quoque non quidem semper, at sæpe idem valere quod ἀντὶ. Optat Paulus ἀνάθεμα esse ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, hoc est, vice *Iudæorum*, quos alioqui perseverantes in incredulitate sciebat futuros ἀνάθεμα, *Rom.* 9. 3. Apostoli ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύουσι, hoc est, legati sunt ipsius Christi vice, 2 *Cor.* 5. 20. Quare cum ἀντὶ necessario commutationem designet, ὑπὲρ autem pro eodem poni nonnunquam soleat, quid vetat vocem notationis dubiæ ex certa interpretari, præsertim cum eodem de argumento agitur? Imprimis vero eam interpretationem videtur requirere locus ille 2 *Cor.* 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus, omnes ergo mortui.* Deinde vero etiamsi non vox per se ambigua ὑπὲρ iis in locis esset usurpata, sed aperte esset dictum, Christum bono nostro mortuum, hoc ipso tamen commutatio illa non excluderetur, imo collatis aliis locis includeretur potius. Nam & qui in hoc moritur, ut eo ipso alterum à morte liberet, ejus bono moritur. Neque potest hic sensus rejici, quia alicubi Christi factum nobis in exemplum proponitur. Nam ad exemplum sufficit generalem quandam esse similitudinem, etsi differentia sit in

modo

modo speciali, cujus tamen mentio fit interdum rei certius denotandæ gratia. Quod manifesto liquet ex *Petri* adhortatione, 1 *Petr.* 2. 19. Vult nos patientes esse in tolerandis afflictionibus, quas insontes patimur. Adfert Christi exemplum: qui inquit & ipse passus est. Satis hoc erat ad comparationem: sed addidit, ὑπὲρ ἡμῶν, quod ad comparationem non pertinet, sed rem ipsam, hoc est, Christi passionem clare designat. Commune ergo est patientia; modus ille differt. Alioqui frustra *Paulus* quæreret, an *Paulus* pro fidelibus esset crucifixus, 1 *Cor.* 1. 13. Poterat enim & ipse pro Ecclesia, hoc est, in usum Ecclesiæ crucifigi, sicut pati se dixit pro Ecclesia, *Col.* 1. 24. & postea magno Ecclesiæ bono ipse gladio percussus est, *Petrus*, aliiq; Apostoli crucifixi. Sed eo modo, quo Christus crucifigi, pœnas vice nostra ferēdo, nec *Paulus* poterat, nec alius quisquam. Vox ergo illa *pro* peculiare hic aliquid denotat, quod Apostolis communicari non potest. Posset autem, si mortis Christi utilitas gradu tantum à morte Apostolorum, non etiam fine proprio segregaretur. Sic in epistola ad *Hebr.* 2. 10. exemplum in eo est, quod Christus per passio-

paſſiones ad gloriam pervenit: modus ſpecialis in eo, quod Chriſtus paſſus eſt ὑπὲρ πάντος. *verſ.* 9. Ut autem illis in locis patientia, ita aliis in locis charitas nobis commendatur eodem Chriſti exemplo: modus autem ſpecialis factum Chriſti apertius deſignat. Quanquam ſi eos locos penitius expendere libeat, videbimus, non tam actum mortis quam periculum mortis illîc reſpici. Nam τιθέναι ψυχὴν, quo ſolus *Iohannes* utitur 10.11.15. & 1 *Ioh.* 3.16. ut & *Ioh.* 13. 37. & 38. item *Ioh.* 15.13. non eſt ibi proprie amittere vitam, ſed eam quaſi oppignerare, hoc eſt, mortis periculum ſubire. Atque ideo illis locis, etiam id quod nobis præſcribitur, non ſolam utilitatem alienam, ſed & commutationem quandam continet, eo nimirum ſenſu, quem *Horatius* illis verſibus expreſſit.

Paratus omne Cæſaris periculum
Subire, Mœcenas, tuo.

In *Caiaphæ* autem dicto, non tantum qua ignaro vaticinium excidit, ſed & ex ipſius ſententia vera quædam ſubſtitutio indicabatur. Fingebat enim ille inevitabile excidium *Iudæorum*, ſi Chriſtus vivere permitteretur: & contra, ſi Chri-

Christus occideretur, incolumitatem certam ob hoc ipsum obtinendam : vere ergo mortem Christi excidio alioquin imminenti substituere voluit. Atque ita idem in genere Christo voluit accidere, cum eo quod alioqui populo erat eventurum ; & mortem Christi liberationis populi causſam propinquam & per se idoneã credidit. Quod perinde est ac si dicas : loco populi alioqui (hoc est, sub contraria conditione) perituri, perire Christum voluit. Notandum hîc obiter, *Caipham* mortis Christi effectum primum non circa *Iudæos* posuisse, quorum liberationi consulebat, sed circa rectores *Romanos*, quorum iram volebat effugere: ita ut si verum est quod urget *Socinus*, eam sumendam verborum *Caiaphæ* interpretationem, quæ simul & Spiritus Sancti & ipsius menti respondeat, omnino illud mori pro populo, incolumitatẽ ab altero impetrandam significet: ille autẽ alter ex mente Spiritus Sancti nemo esse potest, nisi Deus: unde sequitur, actũ hunc Christi prius circa Deum, quam circa homines versari, quod præfracte abnuit *Socinus*. Ea autem quæ de cõmutationis significatione in particula *pro* à nobis hactenus dicta sunt, ex sacrificii

ex-

expiatorii natura multum illustrantur. Nam in iis dari sanguinem pro anima Scriptura & communis Gentium opinio testatur: quod jam nunc apertũ fiet.

CAP. X.

De expiatione facta per mortẽ Christi.

Lib. 2. à cap. 9. ad c. 23.

REstat quippe classis ultima testimoniorum, quæ Christi mortem sacrum expiatorium esse significant: quæ, quia *Socini* artificio plurimis nebulis involuta sunt, postremo loco reservavimus, ut ex his quæ ante dicta sunt, aliquid lucis acciperent. Cõstat nobis & *Socino* de voce: Christi mortem fuisse sacrificium expiatorium sive victimam pro peccato, id ipsum clare testante divina ad *Hebræos* Epistola, imprimis *cap. 9.* Sed de ejus vocis vi propria aliter *Socinus*, aliter sentit Christi Ecclesia. Dissensus breviter ac perspicue sic explicabitur, si dicamus, juxta *Socinum* expiationis effectum primo ac proprie versari circa peccata futura; quia fidem ingenerando mors Christi nos à peccatis abstrahat: quoad peccata vero præterita non nisi secun-

secundario, & eatenus quoque omnem hanc actionem circa nos versari, non circa Deum, hoc est, non Deum moveri ad remittendum, sed nos parari ad accipiendam remissionem, per vitæ scilicet emendationem: juxta sensum vero Ecclesiæ, qui Scripturis congruit, expiationis effectum proprie versari circa peccata præterita, & actionem primam esse circa Deum, qui ad remittendum moveatur. Actionem primam esse circa Deũ, non circa homines, probatur ex natura sacerdotii. Sacerdos enim ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, *Hebr.* 5. 1. nõ autem ὑπὲρ Θεοῦ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, quod est Prophetæ. Cum autem sacrificium, præsertim expiatorium, sit actus Sacerdotis qua talis, (statuitur enim in id Pontifex, ut offerat θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, *Hebr.* 5. 1. 8. 3.) sequitur sacrificium esse eorum, quæ fiunt pro homine apud Deum.

Sed tota res manifestior fiet collatione sacrificiorum legis veteris cum hoc sacrificio, cujus collationis autor est nobis Scriptor Epistolæ ad *Hebræos*, & alibi Prophetæ atque Apostoli. Lex vetus dupliciter spectatur: aut carnaliter, aut spiritualiter. Carnaliter, qua instrumentum fuit πολιτείας *Judaicæ*. Spiritualiter

qua

Contra Soc. l. 2. cap. 9.

qua σκιὰν ἔχε τ μελλόντων : *Hebr.* 10. 1. Quod ad priorem conſiderationem attinet, ſacrificia Legis expiatoria ſanctificabant ad carnis puritatem, *Hebr.* 9. 13. quod quale ſit explicabimus. Lex Dei hanc habuit ſanctionem : *Execrabilis eſt quiſquis non manſerit in omnibus verbis legis*, Deut. 27. 26. *Gal.* 3. 10. Reus ergo pœnæ erat quiſquis vel minimum à lege deflexiſſet, ut oſtendit *Iac.* 2. 10. Pœna hæc juxta carnalem ſenſum erat mors violenta: quod ex contrario liquet, quia Legem implenti vita promittitur. *Levit.* 18. 5. *Gal.* 3. 12. Sicut autem in omni republica recte inſtituta Rex pœnas exigit per judices ſuos, & hi ſi ceſſent, per ſe ipſum : ita & in *Hebraica* republica, quam θεοκρατίαν recte dixit *Ioſephus*, (quia Deus erat Rex ejus, *Iud.* 8. 23. 1 *Samuel* 8. 7.) Deus ordinarie pœnas legis per judices exigebat : ita tamen ut ipſemet exigeret pœnas eaſdem, ſi judices in officio ceſſarent. Populus, inquit, obruunto eum lapidibus, aut ego opponens iratam faciem viro illi exſcindam illum, *Levit.* 20. 3. Neque hoc tantum comminatus eſt, ſed & præſtitit ſæpe, ut multis exemplis veteris Teſtamenti apparet,

paret. Sed quia Legislatori licet suam legem, præsertim pœnalem, nonnihil relaxare, Deus Rex *Hebræorum* in quibusdam delictis victimas expiatorias admisit vice ipsius peccatoris, & per illas ac non aliter peccatorem à mortis pœna liberare voluit. Temere jurans mortem merebatur ex lege *Exod.*20.7. sed per victimam expiari poterat: *Levit.*5.5.*Expiabit eum Sacerdos*, inquit lex, *& remittetur ei*, *Levit.*5.13. Sic qui fidem depositi aut societatis fefellisset, aut alium dolo decepisset, aut furatus esset quippiam, reus erat, inquit lex, *Lev.*5.23. Ex edicto nimirum, quod extat *Exo.*20.15.& 16.17. Sed idē reus præter damni restitutionem, ad quam tenebatur læso, victima data expiabatur, & remittebatur ei quod fecerat, *Lev.* 5. 26. Et passim conjunguntur ista, expiatio & remissio, *Num.*15.28.*Lev.*4.20. *Lev.*5. 13,18,26. In quibusdam ergo delictis quod ad pœnam carnalem attinebat, admittebatur placamen, redemptio, satisfactio, compensatio denique mortis bestiæ cū morte hominis alioqui debita. In universum autem pro delictis omnibus lex talem relaxationem pœnæ carnalis non admittebat: quo re-

 spiciens

ſpiciens *Paulus*, dixit per Jeſum remiſſionem peccatorum (ſpiritualem ſcilicet) annunciari: & credentē juſtificari in ipſo ab omnibus à quibus *Judæi* in lege *Moſis* juſtificari (etiam carnaliter) non potuerant, *Act.* 13.38. quod ita explicat Scriptor ſane vetuſtus reſponſionum ad Orthodoxos, quæ *Juſtino* ſolent aſcribi; τῶν δὲ ἄλλων πταισμάτων γεγενημένων εἰς βλάβην πολιτείας (gravem ſcilicet & minus tolerabilem) ἢ ζοῆς ἀνθρώπων, τῶν τοιούτων πταισμάτων οὐ δίδωσι (ὁ νομος ſcilicet) συγχώρησιν, οὔτε διὰ τοῦ βαπτίσματος, οὔτε διὰ τῆς τῶν ἀλόγων θυσίας, ἀλλὰ δικαίαν τε καὶ ἀξίαν ἀμοιβὴν δίδωσι τοῖς πταίσασι διὰ τοῦ ἴσου τῆς ἀντιπλήξεως. ψυχὴν φησὶν, ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος· ὅπου δὲ τὸ ἴσον τῆς ἀντιδόσεώς ἐστιν ἀπρεπὲς, ἐκεῖ τὸν διὰ πυρὸς ἢ λίθου, ἢ ξίφους θάνατον ἀνταποδίδωσι τοῖς πταίσασι. τὴν μὲν γὰρ θυγατέρα τοῦ ἱερέως πορνεύουσαν διὰ πυρὸς ἀναλίσκει· τὴν δὲ τοῦ λαϊκοῦ ἀνδρὸς, διὰ λίθου· τὴν δὲ ὕπανδρον. διὰ ξίφους. καὶ οὐδαμοῦ ἰσχὺς τῷ νόμῳ ἐκ φιλανθρωπίας διὰ βαπτισμῶν τε καὶ θυσιῶν σῶσαι τῶν τοιούτων τινά. Neque male obſervarunt *Hebræorum* Magiſtri ad *Pſalm.* 51.18. *Davidem* pro homicidio atque adulterio victimam non polliceri, quia lex nullam pro iſtis delictis expiationem

tionem prodiderat. Quod autem ſupra diximus, in expiatione mortem pecudis, morti hominis ſubrogari, id ipſum manifeſtum quoque eſt ex eo, quod *Deut.* 21. conſtituitur, ut homicida non reperto populus expietur pecude cæſa: ubi & expiandi vox explicatur: *Expia populum tuum Deus, & ne imputes ſanguinem innocentem.* Alioqui vero non poterat terra expiari à ſanguine effuſo, niſi per ſanguinem effuſoris, ut ait lex, *Num.* 35. 34. Huic loco addatur alter *Lev.* 17. 11. *Anima eujuſque carnis in ſanguine; ego vero deſtinavi vobis eum in altari, ad expiationem faciendã pro animis veſtris. Nam ſanguis eſt qui pro anima expiationem facit.* Item tertius *Levit.* 10. 17. ubi victima dicitur eorum iniquitates portare, cujus phraſeos vim alibi explicavimus. Hanc ſubrogationẽ *Socinus* non vult agnoſcere, neq; fateri per victimas ullo modo Deum motum, ne peccata puniret. Idque ut probet, duo hæc adfert; non potuiſſe errata hominum in beſtiis puniri, quia nulla inter homines & beſtias ſit ſpeciei communio: neque Deo dari quicquam poſſe, qui eſt omnium Dominus: quorum prius falſum eſt: nam quemadmodum differentia

Lib. 2. cap. 10.

rentia individualis (ut loquuntur) non impedit, quo minus alter possit luere pœnas peccati alieni, modo ipsa mali inflictio per se injusta non sit (ut supra ostensum est) ita nec speciei diversitas impediet, quo minus bestia, quæ alioqui etiam juste poterat occidi, impendatur exemplo, ut in ipsius morte appareat, quid homo sit commeritus. Neque conjunguntur homo & bestia solo genere animantis, verum ea quoque relatione, quæ est inter possessorem & rem possessam. Est enim bestia in universum sub humano dominio: & specialiter expiandus de suo dare victimam jubebatur, *Levit.* 5. 6, 7. Alterum vero nihil ad rem pertinet. Neque enim sequitur, Si Deo nihil accedit per sacrificium, ideo Deum sacrificio non moveri. Hoc ipso enim ἀναξιοῖται Θεὸς, quod homo re sibi concessa in honorem divini numinis semet ipse defraudat: solere autem satisfieri ut per pœnam, ita per aliquam actionem gratam ac placentem, alibi commonstratum est. In victimis sane non rem solam spectari, sed & offerentis animum, cum sacra Scriptura indicat, tum *Gentes* ipsæ crediderunt. *Ne in victimis quidem*, inquit Seneca, *licet opimæ*

opima sint auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium. Unde & de Christi morte agens Scriptura, modo charitatis, modo obedientiæ facit mentionem. Ex his quæ diximus, perspicuum jam est, quomodo victimæ pro peccato in veteri fœdere peccata expiarint, nimirum Deum movendo, ut pœnam carnalem remitteret, idque per satisfactionem quandam: quod autem typi præstiterunt carnaliter, hoc ὁ ἀντίτυπος Christus præstat spiritualiter, & quod typi in quibusdam duntaxat delictis, id Christus in omnibus, Deum scilicet movendo, ut spiritualem pœnam remittat, idque per satisfactionem perfectissimam. Plus enim non minus semper est in re typo designata, quam in typo; ut ratio monstrat. Commune est sacrificio expiatorio legali & sacrificio Christi illud, quod sine sanguinis effusione non fit remissio, *Hebr.* 9. 22. Hanc impetrationem remissionis per sanguinem ibidem divinus Scriptor appellat modo ἁγιασμὸν 13. modo καθαρισμὸν *vers.* 14. & 22, & 23. Sed in veteri lege victimæ erant pecudes, *vers.* 12. in hoc nostro Christus ipse non Sa-

cerdos tantum, sed & victima, *vers.* 14. & 24. legalis illa expiatio hujus cœlestis sive spiritualis ὑπόδειγμα 23, & ἀντίτυπον 24. quomodo? quia illa præstabat carni munditiem, 14: id est, reatus ablationem: non autem spiritui sive conscientiæ 9. hæc autem ipsi conscientiæ 14. Quia quod in veteri lege erat mors temporalis, hoc in novo fœdere est mors æterna, *Hebr.* 10. 29. ac proinde illic liberatio erat temporalis, hîc vero αἰωνίου λύτρωσις, *Hebr.* 9. 12. Quare sicut eodem loco ab effectu legalis victimæ ad effectum hujus per spiritum oblatæ argumentum producitur, *Quanto magis*, &c. *vers.* 14. sic & nobis licet hunc in modum certissime argumentari: Victima legalis reatum carnalem sustulit, Deum movendo ad remissionem, ergo multo magis reatum spiritualem, Deum itidem ad remissionem movendo, tollit oblata per spiritum victima.

Eodem respiciunt loci, in quibus Christus agnus dicitur. Neque multum ad rem faceret, etiamsi non soliti essent in lege agni pro peccato immolari. Nã etiam sic licuisset viris sanctis pro pecude pecudem alteram nominare, ut simul & in generali pecudis significatione com-

comparatio consisteret, & tamen agno potius, quam ariete aut capra nominato innocentia victimæ exprimeretur. Ideo enim & *Petrus* addidit ἀμώμου καὶ ἀσπίλου. 1 *Pet.* 1.19. potuitque simul & quodam verborum compendio respici ad vaticiniũ *Esaiæ* 53.7. in cujus interpretatione *Græca* erat vox ἀμνὸς, ut apparet *Act.* 8.32. Verum insuper liquet agnum in contaminationibus expiandis fuisse usurpatũ, *Levit.* 14.12. *Num.* 6.12. quæ quidem contaminationes in lege veteri peccato eousque æquabantur, ut & peccati nomen acciperent. Unde & agnus ille in reatum sive delictum offerri utrobique dicitur: & altero loco diserte additur, *quia peccavit circa cadaver*. Effectus quoque idem aliquatenus. Nam contaminati non admittebantur ad societatem πολιτείας *Judaicæ*, nisi per talẽ expiationem. Quin & Paschalis victima (quam plerumque agnum fuisse constat, *Exod.* 12.5.) in prima institutione aliquid habuit expiatorii. Ait enim Deus se respicientem ad ejus sanguinem aversurum ab *Hebræis* id exitium quod alioqui cum *Ægyptiis* (quorum imitatione se contaminaverant) habituri erant commune, *Exod.* 12.13. *Hebr.* 11.28. Sed & *Contra Soc. l. 2. cap. 9.*

pro peccato, puta, temerarii juramenti, agnam offerri solitam ostendit lex, *Lev.* 5.4,6. Agnus autem cum dicitur Christus, sacrificium notari non tantum *Petrus* ostendit, redemptos nos dicens agni sanguine, 1 *Pet.*1.18. sed & *Johannes* in *Apocalypsi* multis locis, atque inter cæteros ubi mactatum eum dicit, *Apoc.* 5.6.5.12.& 13.8. Sacrificium autem aliud quam pro peccato intelligi non potest, quia *Petro* teste, fuit redemptorium. Tale est solum sacrificium pro peccato. Unde plus quam manifestum est, cum dixit *Baptista* Christum esse Agnum, qui auferret Mundi peccata, *Joh.*1.29. de peccatis ibi præteritis agi, non de futuris; & de auferendo reatu per remissionis impetrationem apud Deum, non autem per fidei ingenerationem. Neque verum est, quod dicit *Socinus*, solum Sacerdotem summum Christi, solamque anniversariam expiationem sacrificii ipsius figuram gessisse: quanquam enim in summo Sacerdote, & illo solenni sacro figura quædam fuit excellentior, quam propterea singulari cura Spiritus Sanctus in epistola ad *Hebræos* persequitur, negari tamen non potest, quin & Sacerdotes alii, & sacra alia expiatoria

Contra Soc. l. 2. cap. 17.

& cap. 9. l. 2.

piatoria obscurius eodem respexerint. Monstrat hoc eadem illa epistola, *cap.* 9. *vers.* 13. ubi omnis carnalis per victimas purificatio cum spirituali per Christum purgatione confertur, multoq; magis *vers.* 21. & sequentibus, ubi cum dictum esset universaliter, omnia ferme in lege sanguine purgari, neque aliter quam fuso sanguine contingere peccatorum remissionem, subjungitur deinde, ἀπάγκη ἐν τὰ μὲν ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τούτοις καθαίρεσθαι. Sic & *cap.* 10. *vers.* 11. quotidiana sacrificia cum Christi sacrificio comparantur: cujus loci sententiam evertit *Socinus*, *quotidie* exponens *quotannis*, nullo exemplo. Nam quod locum *Hebr.* 7. 27. adfert huic interpretationi firmandæ, frustra est, cum falso sumat Sacerdotem in solo anniversario sacrificio pro se offerre debuisse. Contra enim offerre pro se debuit, quoties peccati sibi erat conscius, *Levit.* 4. 3. Paschale quoque sacrificium sacrificii à Christo peracti figuram fuisse, ostendit. *Joh.* 19. 36. & *Paulus* 1 *Cor.* 5. 7. *Lib.* 2. *cap.* 16.

Quanquam autem hæc sufficere poterant, libet tamen ex communi Gentium notitia, aut potius ex vetustissima

traditione per omnes terras diffusa, sacri expiatorii naturam paulo uberius explicare. Quin ante legem *Mosis* sub statu legis naturalis qui dicitur, sacrificia fuerint, dubitari non potest, quorum ritus à Deo traditos hi, qui diluvio superfuere, per terras omnes dispersi ad posteros transmiserunt: mansitque aliquandiu non tantum apud *Semi*, sed & apud *Japheti*, (forte & *Chami*) posteros incorrupta religio, donec plurium ideoq; falsorum Deorum cultus in ejus locum succresceret: sed tunc quoque Deo mutato mansere ritus & cærimoniæ à pio usu ad impium translatæ, magnum adversus ipsos testimonium acceptæ veritatis, sed per injustitiam detentæ; ut inquit Apostolus, *Rom.* 1. 18. Persuasissimum ergo habebant Gentes istæ, delictis hominum offendi & irasci Deos. Ex hac ira sequi solere magnas calamitates, qua privatas, qua publicas. Videatur egregius *Plutarchi* libellus περὶ τῆς ὑπὸ θείας βραδύτητος τιμωρουμένων, in quo si pro Diis Deum rescribas, plurima invenies digna, quæ à Christiano dicantur. Ira ista colligebatur ex caussis aut effectis. Ex caussis, si qua facinora ad notitiã perveniissent. Ex effectis, portentis, prodigiis, signis cæle-

cœlestibus. Videatur *Cicero* de *Haruspicum* responsis. *Lucanus* 1. *Pharsaliæ.* historici *Græci, Romaniq;* passim. Iram tamē hanc sperabant averti posse quibusdam victimis. His dicebatur placari numen, reus ipse, aut homo, aut populus purgari, sive antiquo verbo februari, peccatum ipsum piari atque lustrari.

Quare eadem sacrificia dicebantur ἱλαστικὰ, ἁγνιστικὰ, καθαρτικὰ; *Latine* placamina, februa, piamina. Vox ἱλάσκεσθαι ad victimas ab *Homero*, aliisque sæpissime aptatur. Ἁγνίζειν τὴν πόλιν καθαρμοῖς est apud *Plutarchum* in *Romulo:* hoc ἁγνίζειν, ἁγίζειν, quoque & ἁγιάζειν dicitur. Apud *Herodotum lib.* 1. *Phryx Adrastus* homicidio pollutus καθαρσίου ἐδέετο, opus habuit sacro expiatorio: *Crœsus* ipsum ἐκάθηρε, expiavit. Similem autem dicit esse κάθαρσιν, expiandi rationem, apud *Lydos* & *Græcos.* Apud *Hermogenem* est, μηδὲ καθηρέσμων ἀπὸ τῶν ἀσεβημάτων. *Plato* 2. *de Rep.* pro eodem ponit λύσεις & καθαρμοὺς ἀδικημάτων. *Plutarchus* in *Romanis* καθάρσια interpretatur ἀποτρόπαια, hoc est, averruncea, iram divinam avertentia. Placandi voce apud *Virgilium* alioqui; in sacris nihil frequentius: cujus vim *Horatius* ita expressit,

Mu-

Mactata veniet mitior hostia.

Livius ſæpe: *Pacem Deos expoſcere.* *Plinius* pecori gratiam eſſe ait in Deorum placamentis. *Ovidius* Faſtorum primo per victimas ait homini Deos *Conciliari*: quam vocem cum placandi voce idem valere ſupra oſtendimus. Purgare & purificare ex *Græco* ἁγνίζειν tranſlatum inde ſumitur, quod reatus immunditia quædam videtur. Purificandi vox eſt apud *Suetonium* & *Plinium*. Purgare mœnia luſtro, dixit *Lucanus*; ſed receptius eſt luſtrare: de cujus origine ſupra diximus. Sic exercitum ſuovetaurilibus luſtrare eſt apud *Livium*. *Ovidius* per expurgare expoſuit 13. *Met.*

--- Ego luſtror ab illis,
Expurgante nefas novies mihi carmine dicto.

Servius apud *Virgilium*, *Luſtramurq;* *Jovi*, 3. Æn. exponit, purgamur, piamur. *Seneca* in Troadibus, luſtrare ſacrum, explicat ipſe, quo piantur rates. Et *Papinius Menœcea* dixit, caput luſtrale, quod ſic exponit,

Terrigenam cuncto patriæ Pro Sanguine *poſcunt*: Item;
--- Date gaudia Thebis.

Qua

Quæ pepigi, & toto quæ Sanguine *prodigus* Emi.

Lustrale ergo sacrum, est quod sanguinem emit, hoc est, redimit sanguine: quod pertinet ad ea comprobanda, quæ de redemptione superius à nobis sunt disputata. Notandumque imprimis, sæpissime, cum de sacris expiatoriis agitur sanguinis fieri mentionem, quia ex vetustissima Dei lege *Noacho* data, *Gen.* 9. 4. atque inde ad populos omnes propagata, sanguis est vice animæ, ac propterea animæ nomine appellatur: Hinc illud *Virgilii:*

Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum:

Quæ verba explicans ex *Trebatio Macrobius* eas hostias ait animales fuisse appellatas. Piari proprie dicuntur ipsa peccata, hoc est, lui: sive solvendo pœnam debitam, sive aliud quod pœnæ debitæ in locum succedit. Ut ecce apud *Virgilium:*

--- Et culpam miserorum morte piabunt:

Hoc est, efficient ut luantur. *Plinius: Luxum populi expiare solent bella.* Cicero: *Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt.* Apud eundem

sæpe

sæpe est scelera supplicio expiare : & apud *Salustium*, cædem cæde, sanguinem sanguine expiare: imo & supplicii vox primum in sacris fuit, unde ad pœnas translata est. Sed in sacrificiis piare, est luere per successionem rei alterius in locum pœnæ debitæ. Hinc *Plautus* :

Contra Soc. l. 2. cap. 13.

Men' piaculum oportet fieri propter stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum.

Hinc autor distichorum, quæ *Catonis* nomen præferunt, ait :

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te ?

Ubi, pro te, est tuo loco. Atque ibidem eos, qui victimas offerunt, ait morte alterius suam salutem sperare. Hinc piacula proprie ipsa sacrificia : *Ea prima piacula sunto*, Virg. 6. *Teque piacula nulla resolvent. Horatius* : quæ & piamina *Ovidio* :

Februa Romani dixere piamina Patres :

Cujus vocis vim ipse mox exprimit, *quo crimina nostra piantur* : Et piamenta *Plinio*. Improprie piacula crimina, propter quæ piacula debentur, ut recte *Servius* ad illud *Virgilii*,

Distulit

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Quanquam autem, ut diximus, piare proprie est luere, ideoque de ipsa pœna aut peccato, id est, reatu & debito, proprie dicatur, cœpit tamen sumi pro significationis propinquæ vocibus, placare & lustrare. Sic *Cereris* numen expiandum. dixit *Cicero*. Sic *Livius*: *Ut cædes manifesta aliquo piaculo lueretur, imperatum est patri, ut filium expiaret*, id est, lustraret. Sic *Seneca* in *Troadibus* dixit, piare rates, id est, classem lustrare. Prodigia quoque piare, dixit *Tacitus*, pro facinoribus ob quæ orta ira prodigiis indicabatur. Locus est ubi de *Judæis* agit: *Evenerant prodigia, quæ neque hostiis, neq; votis piare, fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa.* Ubi obiter notari potest, quod supra diximus, non esse ad quamvis irā divinam placandam in lege *Judæorum* piamenta prodita. Ex his manifesto apparet, sacra lustralia, sive piamenta, pertinuisse ad placandum numen, & sic impetrandam impunitatem ante commissorum: quod *Plinius* ita exprimit, *Vetus priscis tēporibus opinio obtinuit, februa esse omnia, quibus malefactorum* Conscientiæ

scientiæ Purgarentur, Delerenturque Peccata. Neque vero omittendus est insignis de expiatoriis sacrificiis *Porphyrii* locus: Πάντες γὰρ ἐν τούτῳ ὡμολόγησαν οἱ θεόλογοι, ὡς οὔτε ἁπτέον ἐν ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων καθαρσίοις τε χρηστέον· μὴ γὰρ ἴοι τις εἰς ἄστυ, μὴ δ' εἰς οἶκον ἴδιον, μὴ πρότερον ἐσθῆτα καὶ σῶμα ποταμοῖς ἢ πηγῇ ἀποκαθῆρας, φασιν. Quod ait convenire Theologis, iis qui attigerint victimas expiatorias lavanda esse vestimenta, plane cum Lege per *Mosen Hebræis* tradita congruit, ut apparet *Levit.* 16. 26. & 28. Quia vero Gentes istæ non ignorabant naturæ ductu, quo majus esset quod daretur Deo, eo facilius posse veniam impetrari, præsertim si ἀντιλύτρου cum eo quod redimeretur, aliqua esset æqualitas, ideo à pecudum mactatione in piaculis faciendis ventum est ad mactationem hominum. Caussam explicat *Cæsar de Gallis* agens: *Pro vita hominum nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen* Placari *arbitrantur*. Primi omnium hoc factitasse reperiuntur *Cananæi*, hoc est, *Phœnices*. Nam de his in sacris literis legimus, solitos eos *Molochum* placare liberorum suorum mactatione: is

Mo-

Molochus fuit *Saturnus*, ut *Hebræorum* Magistri recte explicant. *Phœnicum* Historiam à *Sanchuniathone* conscriptam plenam fuisse ejusmodi sacrificiorum narrationibus, narrat is, qui apud Interpretem *Philonem* Byblium legit, *Porphyrius*. Pars horum fuerunt *Tyrii*, apud quos antiquitus usitatum, ut ingenuus puer *Saturno* immolaretur: narrat *Curtius libr.* 3. Idem recte notat, *Carthaginienses*, colonos *Tyriorum*, id sacrum à conditoribus accepisse: de quibus est illud *Ennii*;

Ille suos Divis mos sacrificare puellos.

Narrat idem de Pœnis *Diodorus*, & *Justinus* his verbis: *Homines ut victimas immolabant, & impuberes aris admovebant* Pacem *Deorum* Sanguine *eorum exposcentes*, *lib.* 18. *Silius Italicus* solitos eos dicit, *Poscere cæde Deos* Veniam. *Lactantius* ex *Peseennio Festo* narrat, *Carthaginienses*, Iratum sibi Deum putantes, ut Piaculum Solverent, immolasse ducentos Nobilium filios. Meminit & *Minutius Felix*; & *Tertullianus Apologetico*, qui *Saturnum* propterea appellatum

tum ait cumulum filiorum, & *Plutarchus* libello de superstitione. In *Ægypto* quoque homines, & quidem formæ exquisitæ sacrificatos fuisse antiquitus, scripsit *Manethos*, addiditque, servatum morem ad *Amosis* tempora, qui pro hominibus cæreas imagines substituerit. Et de *Heliopoli* traditum, diligenter ibi inquisitum, an mundi essent, qui mactandi destinabantur. In *Cypro* similiter homo mactatus ad *Diphili* Regis tempora, qui bovis immolationem subrogavit. Idem factum olim in *Rhodo*, *Chio*, *Tenedo*, *Salamine*: item *Laodice*: & apud *Arabas Dumathios*. *Persæ* vivos defodiebant. De *Albanis* hoc specialiter proditum, solere ab ipsis immolari eum, quem crederent sanctimonia maxima pollere. *Jones*, teste *Pausania*, virginem & puerum immolabant, ut iratam *Dianam* placarent. De *Blemyis*, *Massagetis*, *Tauris*, *Neuris*, & in universum de *Scythis*, similia legimus: quæ pro *Asia*, *Africaque* possunt sufficere: quibus addi potest, eundem ritum repertum tum in veteri *India* (de qua idē jam olim *Mela* tradiderat) tum in *Americano* orbe ab his, qui illas oras notitiæ hominum reddiderunt. In *Canariis* quoque Insulis non diu

diu esse, cum id fieri est desitũ. Ad *Europam* ut veniamus, olim in *Creta Saturno* pueros, *Lacedæmone* hominem *Marti* immolatum, *Ister* & *Apollodorus* tradiderunt. Quin *Græcis* communiter omnibus morem fuisse eundem *Phylarchus* tradidit, *Plinio* assentiente, extantque exempla etiam belli *Persici* temporibus. *Roma* etiam quotannis mactati *Græcus* & *Græca*, *Gallus* & *Galla*: Latiaris quoque *Juppiter* humana victima colebatur: nec minus *Diana Aricina*; olimque usitatissima fuisse per *Italiam* & *Siciliam* id genus sacrificia, narrat *Plinius*: neque *Roma* abrogata ante annum Urbis sexcentesimũ quinquagesimum septimum. Nec aliam habent originem *Deciorum* devotiones, quibus antiqui, ut *Cicero* ait de Natura Deorum tertio, Placatos Deos censebant: *Livius* vocat Decios piacula omnis Deorum Iræ: item piacula Luendis periculis publicis. Nec omittendus insignis *Juvenalis* locus:

Plebeia Deciorum anima, plebeia fuerunt
Nomina: Pro *totis legionibus hi tumen, &* Pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina. Suffi-

Sufficiunt Dis *infernis*, *Terraque parenti*:
Pluris *enim Decii*, *quam qui ſervantur ab illis.*

Quo in loco primum is conſpicitur uſus particulæ *pro*, quem nos ſupra frequentem admodum eſſe indicavimus, & hujus argumenti quaſi proprium, ut idem ſit quod, loco alterius. Apparet deinde, creditum à *Romanis*, ſacrificii æſtimationem ab ejus, qui mactatur, dignitate augeri. Poſtremo ex collatione Autorum manifeſtum fit, iſta ἰσοδυναμίαν: Deum placari aliqua victima: Deorum iram expiari: aut animam cujuſpiam Diis ſufficere pro aliorum animis. *Gallorum* mos ex *Cæſare* notiſſimus, de quo ſupra attigimus: quem manſiſſe ait *Plinius* ad *Tiberii* principatum. De iiſdem *Cicero*: *Galli humanis hoſtiis Deos* Placant. Placare Deos, dixit *Cicero*, ut & *Cæſar*: *Luctatius*, luſtrare civitatem. Idem *Cæſar* interpretatur, pro vita vitã reddere. Sic *Thraces Zamolxin*, ſic *Germani Mercurium*, Deoſque alios colebant: de quibus ita *Lucanus*:

Et quibus immitis Placatur *ſanguine diro Tentates.*

In

In *Britannia* quoque celebrata hujus generis sacra, *Tacitus* & *Plinius* prodiderunt. *Procopius* ad sua, hoc est, ad *Justiniani* usque tempora idem factitatum scribit in *Thule* insula. Alias vero per gentes nõ exoleviſſe eum morem ante *Adriani* imperium, *Porphyrius* ſcriptum reliquit. De *Maſſilienſibus* ſpecialiter memoriæ eſt proditum, quoties peſtilentia laborarent, ſolere pauperem ali publicis ſumptibus, qui verbenis ornatus & ſacris indutus veſtibus, per urbem duceretur cum execrationibus, ut in ipſum omnia civitatis mala recideren: & ſic Diis immortalibus immolaretur. Quêis omnibus in unũ collectis, videbimus haud immerito de his ſacris *Plinium* exclamaſſe: *Adeo iſta* Toti *Mundo conſenſere quanquam diſcordi & ſibi ignoto.* Et hæc quidem de humanis victimis obiter dicta ſunto: in quibus non ideo tantum peccarunt *Gentes*, quod Diis falſis ſacra fecerunt, verumetiam, quod divinum numen iſta ratione colendi mandatum nullum habebant, quale *Abrahamus* habuit. Cæterum mos ille *Gentium* in expiandis peccatis hominum aut pecudum mactatione, non parum affert

lucis

lucis ad intelligendam ipsam sacrificii expiatorii naturam, & vocabula propria ejus argumenti. Eoque minus sperni potest hic labor, quod dicat *Socinus*, *Baptistam*, cum Christum agnum Dei appellavit, ad sacrificia in universum respexisse, quibus non solum apud *Hebræos*, sed & apud *Gentes* peccata expiari credebantur. Neque verò dubitandum est, cum in hoc ipso sacrificii expiatorii argumento voces *Græcas* καθαίζειν & ἱλάζειν sæpissime usurpat divinus Scriptor ad *Hebræos*, quin eo sensu usurpaverit, quem *Græca* lingua receperat.

Lib. 2. cap. 9.

Unde jam promptum est intelligere, quid illud significet, quod Christus sacrificium pro peccato sive expiatorium dicitur. Nam cum tres interpretationes afferat *Socinus:* primam, quod Christi mors fidem nobis ingenerando nos à peccatis in posterum retrahat: alteram, quod mors ipsa antecedens sit quiddam ad peccatorum remissionem consequendam: tertiam, quod ipsi remissioni aut decreto de ea facto testimonium quasi præbeat: ex his tribus sola secunda huc pertinet: non quod non alia quoque illa Christus fecerit, & quidem multo quam *Socinus* opinatur efficacius, sed

Lib. 2. cap. 16. & 17.

Lib. 2. cap. 20.

quia

quia ista ad sacrificium pro peccato nõ pertinent. Similitudinem enim legalium sacrificiorum pro peccatis (quibus conjungi possunt similia sacrificia *Gentium* non secundum rem, sed secundum *Gentium* opinionem considerata) & sacrificii à Christo peracti fatetur *Socinus* cõsistere in ipsa expiatione. At sacrificia illa non abstrahebant à peccato, præsertim fidem alicujus rei faciendo: neque etiam remissioni peractæ, aut certo decreto testimonium præbebant, sed, ut ipse *Socinus* agnoscit, erant aliquod antecedens requisitum ad remissionem: quod ostendunt illa legis verba: *Expiabit & remittetur*. In hoc ergo versatur comparatio, planeque necesse est idem significare expiationem cum sacrificiis legalibus, & cum Christo applicatur, quia utranque deducit Scriptor ad *Hebræos* ex eodem decreto, nempe ut sine sanguinis effusione remissio non fiat, sed expiatio fiat in sanguine, *Hebr*. 10. 21. Nõ obstat, quod dicatur ad *Hebr*. 10. 4. fieri non posse ut sanguis taurorum & hircorũ tollat peccata: repetendũ enim est ex superiori κατὰ τὴν συνείησιν, ut manifesto apparet, si cum hoc loco similes conferas *cap*. 9. *vers*. 9. & 14. Sanguis pecudum

Lib. 2. *cap*. 10.

pecudum tollebat peccata, id est, reatum temporalem, non autem tollebat reatum spiritualem; ut supra ostensum est.

contra Soc. l. 2. cap. 17. Neque in *Apocalypsi* illud λοῦσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν 1.5. sine insigni detorsione interpreteris, qui lotos nos declaravit, aut 1 *Joh.* 1.7. ubi est, Sanguis Christi καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, exponere licet, mundos nos esse declarat. Repugnat enim manifeste & verborum proprietas, & perpetuos Scripturæ usus in hoc argumento. Immunditiæ nomine significari passim reatū. fatetur *Socinus*. Hinc καθαρίζειν & ἁγιάζειν, est eum reatum tollere, sive efficere remissionem, ut ipse Scriptor ad *Hebræos* exponit vocem καθαρίζειν. 9. 22. Christus per se ipsum fecit hunc καθαρισμὸν, *Hebr.* 1. 3. Christus καθαρίζει conscientiam ab operibus mortuis, *Hebr.* 9. 14. hoc est, ipso *Socino* interprete, à reatu & pœna, pœnæque timore conscientiam liberat. *Lib. 2. cap. 15.* In veteri quoque Testamento טהר eundem habet sensum, *Psalm.* 51. 9. Quod autem his in locis est καθαρίζειν, hoc ipsum simili ratione dicitur ῥαντίζειν 10.22. & λούειν, hoc est, lavare, *vers.* eodem: quo respicit etiam vaticinium

nium, *Zach.* 13. 1. Cur ab hoc sensu discedatur duobus illis locis Apostoli *Johannis*, ratio plane nulla est. Nō enim, si Jesus testis fidelis dicitur, *Apoc.* 1. 5. ideo *lavare*, illud ad testimoniū referri debet. Non enim cohærent ἀμίωτος, illud, μάρτυς ὁ πιστὸς, & ἔλυσεν, sed intercedit mentio primogenituræ mortuorum, regni, deinde charitatis: ut vel cæco appareat, multa officia ac beneficia Christi ad illustrandam ipsius dignitatem una conjungi. In Epistola autem *Johannis* omnino absurdum est καθαρίζειν de declaratione mundationis, non de ipsa mundatione interpretari, cum paulo post jungantur ἀφίναι & καθαρίζειν. Argumentatur Apostolus à conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundationem, hoc est, remissionem per sanguinem Christi: quia nemini in luce ambulanti imputantur peccata. *Baptistæ* vero prædicatio, Christum agnum nominantis qui mundi peccata tollat, cum sacrificia expiatoria respiciat tum *Hebræorum*, tum *Gentium*, agnoscente *Socino*, plane non permittit nos, Tollere peccata, aliter interpretari, quam reatum tollere. Hoc enim faciebant expiatoria sacrificia, non autem abstrahe-

Contra Soc. l. 2. cap. 13.

Lib. 2. cap. 9.

bant à peccando. Neque aliud est εἰς ἄφεσιν ἁμαρτίας, *Hebr.* 9. 26. quam πρὸς τὸ καθαρίζειν ἡμᾶς, πρὸς τὸ λύειν ἡμῶν ἁμαρτίας, ut ex *vers.* 22. apparet. Illa autem ἄφεσις ἁμαρτίας facta est διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ. *d. vers.* 26.

Quanquam vero *Socinus* quoidam locos vero sensui conatur eripere, tamen, multis aliis convictus, agnoscit indicari in Christi sacrificio expiationem factam, quæ antecedat remissionem peccatorum, tanquam requisitum aliquod. Attamen negat, Deum isto sacrificio moveri ut remittat, sed nobis fidem quandam ait ingenerari, qua, perducti ad emendationem vitæ, porro remissionem peccatorum consequamur: in quo primum parum meminit ejus quod dixerat, figuram cum figurato congruere debere in eo in quo fit collatio. Neque ejus quod ostendit Scriptura, illud πάντα καθαρίζεται ἐν αἵματι, eodem modo ad legalia sacrificia, & ad Christum pertinere, *Hebr.* 10. 22. Sacrificia autem legalia plane talem fidem non ingenerabant. Neq; tolerabilis est illa vocis expositio, expiare, esse aliquid facere, quod ad remissionem requiratur. Contra enim voces istæ omnes, καθαρίζειν, ἁγιάζειν

Lib. 2. cap. 10.

&

& similes quibus utuntur Apostoli, suapte natura & usu perpetuo non solum ordinis antecessum, sed & efficaciam quandam designant. Alia quoque evertendæ huic à *Socino* repertæ interpretationi certissima argumenta nobis Scriptura suppeditat. Dicit enim opus fuisse novo Sacerdote ex ordine *Melchisedech*, *Hebr.* 7. 11. At fidem in Deum prædicare, imo & prædicationem hanc morte confirmare potuerant etiam *Levitici* Sacerdotes. Quare si nihil præterea efficit Christi Sacerdotium (quod vult *Socinus*) sequitur eo opus non fuisse. Præterea hoc ipsum, Christum esse mortuum pro peccatis nostris, ad salutem creditur, *1 Cor.* 15. 2, 3. Non ergo Christi expiatio ad hoc primo comparata est, ut ad credendum adducat aliquem, cum ipsa sit inter credenda. Quod enim ad finem duntaxat alicujus rei faciendam inservit, id à re credenda diversum sit, necesse est. Præterea post insitam demum fidem expiatio Christi in nobis effectum habet. Christus enim Pontifex est constitutus ad expianda peccata populi sui, id est credentium, *Hebr.* 11. 17. Non potest ergo expiare, esse ad fidem perducere.

Contra Soc. l. 4. cap. 10.

Jam vero, ut non tantum demoliamur *Socini* falſam interpretationem, ſed veram ſimul adſtruamus, quæ hæc eſt, Chriſti morte ad remittenda peccata Deum moveri, notetur illud ad *Hebræos* 12. 24. ubi ſanguis Chriſti purgatorius dicitur melius loqui, quam ſanguis *Abel*. Sanguis *Abel* clamabat ad Deum pro vindicta. Sanguis Chriſti clamat ad Deum pro remiſſione. Negat *Socinus* placari Deum ſacris expiatoriis. At contrarium teſtantur Scriptores ſupra à nobis allegati, qui placandi vocem ad exprimenda ea ſacra uſurpant: unde & illa nata eſt phraſis in Epiſtola ad *Hebræos* poſita. ἱλάσκεσθαι ἁμαρτίας, placare peccata, id eſt, placando Deum peccata expiare. Satisfactionem nullam *Socinus* in ſacris expiatoriis agnoſcit. Atqui vox ipſa piandi ſive expiandi nihil aliud proprie ſignificat quam luere; paſſimque autores à nobis citati, cum expiare volunt ἀντιφέρειν, dicunt dare ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vita, animam pro anima: ſanguine aliquid emere, morte alterius ſalutem conſequi. Neque voces *Hebræa* hinc diſſident. Nam כפר non modo eſt tegere, ſed & redimere; *Exodi* 21. 30.

contra Soc. l. 2. cap. 11.

30. *Psalm.* 49. 7. & placare *Gen.*32. 19. atque inde porro expiare. כפר est luere, *Gen.*31. 39. unde & hoc cœpit ad expiationem significandam usurpari. Tribuitur autem expiatio primo victimis, ut apparet *Hebr.*9.13. & 23. deinde Sacerdoti propter victimas quas exhibet, ut sæpe in *Levitico*: postremo etiam Deo istam luitionem admittenti. Sicut autem redimendi vox improprie pro quavis liberatione cœpit usurpari, ita & expiatio dici cœpit ob similem effectum, etiam ubi luitio nulla intercedit. *Psal.*51.8. Christo autem expiatio tribuitur ut victimæ, ideoque additur vox sanguinis: sanguis autem in victimis, ut supra probatum, datur vice animæ peccatoris. Unde non potest hic non proprie sumi vox expiationis. His adde, quod si verum esset, quod vult *Socinus*, expiationem multo magis fieri per resurrectionem ac ascensionem in cœlos, quam per mortem & fusionem sanguinis, (quia illa aptiora sint persuadendæ nobis fidei quam mors ipsa) saltem aliquo Scripturæ loco istis actibus expiatio tribueretur: quod nusquam fit.

Lib. 2. cap. 20. Falſum eſt quod ait *Socinus*, pateſactioni divinæ voluntatis expiationem aut καθιερώσει tribui : neque hoc evincunt loca allegata. Nã *Hebr.* 1. 3. Chriſtus omnia verbo ſuo portare dicitur, quia illius imperio omnia parent : ſicut vox ῥῆμα eodem ſenſu invenitur *cap.* 11. *verſ.* 3. & *Lucæ* 5. 5. *capite* vero 10. *verſ.* 26. & 29. non pro eodem ponuntur cognitio veritatis, & ſanctificatio per ſanguinem, ſed plura beneficia conjunguntur, ut eo ſpectabilius ſit crimen hominis ingrati. Adjicitur quidem aliquando ſanguini, fœderis mentio : ſed ſæpius multo τῆς θυσίας, quare ea ſumenda eſt interpretatio, quæ iſta conjungat. Hoc autem fiet, ſi fœderis illam ſpectemus partem, qua Chriſtus ſtipulatus eſt, ſi mortem ſubiret, fore ut remitterentur peccata in ſe credentibus, Deus autem id ipſum promiſit, ut apparet *Eſaiæ* 53. 10.

Lib. 2. cap. 13. & paſſim.

Quod vero Chriſtus dicitur in cœlo offerre ſanguinem, hoc eſt, Patri morte ſuam oſtendere, & quaſi ejus Deum ἀναμιμνήσκειν, quod inſuper interpellare pro nobis legitur, hæc expiationem in cruce peractam non tollunt. Expiatio enim in cruce peracta, Deum movet ad remittendum

tendum & jus nobis acquirit, sed sub certa conditione & modo: in quibus comprehenditur ex parte Christi interpellatio, ex parte nostra fides vera, ut explicatum est, cum de satisfactione ageretur. Pugnat autem cum Scriptura *Socinus* manifeste, cum expiationem negat esse factam antequam Christus cœlum ingrederetur. Passim enim Scriptura τὴν ἀπολύτρωσιν, τὸ καθαρισμὸν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν ἄθέτησιν τῆς ἁμαρτίας tribui: morti, eaque ipsa jam peracta indicat: Oblatio vero in cœlo quidem facta est, sed ita ut nec morti in terris peractæ eum titulum denegare debuerit *Socinus* contra clara verba *Pauli*, *Eph.* 5. 2. ubi Christus se dicitur tradidisse pro nobis προσφορὰν. Solam verborum seriem inspexisse, ipsius interpretationem abunde refutasse est. Ibidem merito conjunguntur προσφορὰ & θυσία. Peragi autem θυσίαν tunc cum morti datur hostia, omnes *Græcorum*, omnes *Latinorum* libri indicant: unde evenit, ut mactare tum sacrificare significet, tum etiam à sacrificiis ad alia porrecta significatione quovis modo interficere. Hinc *Ammonius* θύειν καὶ σφάττειν distinguit, ut appellationes generis & speciei; θύειν μὲν γάρ ἐστι πᾶν

Lib. 2. cap. 13. & c. 15.

Contra Soc. l. 2. cap. 21.

τιμῇ θεῦ, σφάττεσθαι δὲ τὸ δι' ἡν τιναῦν αἰτίαν φονεύσασθαι. Et *Plutarchis Gallis* & *Scythis* ait creditum, θεοὺς εἶναι χαίροντας ἀνθρώπων ΣΦΑΤΤΟΜΕΝΩΝ αἵματι, καὶ ταύτην τελειοτάτην ΘΥΣΙΑΝ. Est ergo θυσία ἐν τῷ σφάττεσθαι, in mactatione sacrificium. Neque aliter in hoc argumento loquitur Scriptura. Jussus *Abraham* offerre filium, *Gen.* 22. 2. parat eum occidere, *vers.* 10. atque adeo, quia mactationem etsi non manu, animo jam peregerat, obtulisse filium dicitur, *Hebr.* 11. 17. Est & ubi θύειν simpliciter & extra sacrificium mactare significat, ut *Joh.* 10. 10. Et *Johanni* Christus dicitur ἀμνίον ἐσφαγμένον, agnus ille mactatus sive occisus, *Apoc.* 5. 6, 12. & 13. 8. quod *Paulus* sic enuntiat, πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. 1 *Cor.* 5. 7. non solebat autem Pascha in adytum inferri: est ergo ἐτύθη idem quod ἐσφαγίσθη, ut πάσχα idem quod ἀρνίον. Et apparuit Christus in cœlo apud Patrem διὰ τῆς θυσίας, *Hebr.* 9. 26. præcessit ergo sacrificium, secuta est apparitio. Sic alibi in eadem epistola dicitur Christus in sanctuarium cœleste intrasse per sanguinem suum, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑρόμενος, id est, *reperta æterna redemptione*

ptione Hebr. 9. 2. & sedisse ad dextram divini solii καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *facta peccatorum nostrorum expiatione:* quibus in locis voces anteacti temporis ostendunt, factam redemptionem aut expiationem, priusquam Christus cœlestem regiam intraret. Quanquam ergo Christus ejusmodi est Pontifex, qui non in terra manere, ut Sacerdotes *Levitici*, *Hebr.* 8. 4. sed cœlum penetrans ipso cœlo celsior debuit evadere, *Hebr.* 4. 14. & 7. 20. quippe cujus Sacerdotium debuit esse æternum & ἀπαράβατον 7. 24. verus tamen Sacerdos fuit & vera victima, jam tum cum in terris morti se traderet. Ideoq; dicitur venisse in mundum, *Heb.* 10. 5. (hoc est, in orbem terrarum, ipsa Scriptura interprete, *Joh.* 18. 37. 1 *Tim.* 1. 15.) ut voluntatem Dei faceret, *vers.* 7. & 9. hoc est, ut corpus suum à Deo aptatum, id est, sanctificatum, *vers.* 6. offerret Deo, *vers.* 10. pro peccatis, *vers.* 8. & 12. Quo loco observandum simul est, sanctificatos nos dici oblatione ἐφάπαξ: cum interpellet Christus toties, quoties opus est nobis: ita ut hîc non interpellatio, sed mactatio sit intelligenda. Est ergo duplex, ut legalium

Contra Soc. lib. 2. c. 23.

quarundam victimarum, ita Christi oblatio: prior mactationis, altera ostensionis. Legalium victimarum prior peracta in templo, altera in ipso penetrali: Christi prior in terris, posterior in cœlo: prior tamen illa, non sacrificii præparatio, sed sacrificium: posterior non tam sacrificium, quam sacrificii facti commemoratio. Quare cum apparitio & interpellatio non sint actus proprie sacerdotales, nisi quatenus peracti sacrificii virtute nitentur, sacrificium illud qui tollit, ne sacerdotium quidem Christo verum relinquit, contra manifestam Scripturæ authoritatem, quæ distinctam à Prophetica & Regia Pontificiam dignitatem Christo assignat: non figurate dictam, sed maxime veram, quippe cum sacerdotium ipsius *Levitico* sacerdotio, quod verum fuit sacerdotium, opponatur; ut ejusdem generis species perfectior, alteri speciei minus perfectæ: neque recte inferri potuerit, necesse fuisse ut haberet quod offerret Christus, *Hebr.* 8. 3. nisi ex veritate ejus, in quod constitutus erat, sacerdotii. *d. vers.* 3. Sed profecto minime mirum est, si qui Christo gloriam naturalem, hoc est, veri nominis Deitatem, sustulerunt, iidem &

officia

officia ipsius imminuunt, & beneficia ipsius præcipua recusant agnoscere. Tibi Domine Jesu ut vero Deo, ut vero Redemptori, ut vero Sacerdoti, ut veræ pro peccatis victimæ, cum Patre & Spiritu, uno tecum Deo, sit honos & gloria.

FINIS.

Sequuntur

TESTIMONIA VETERUM.

TESTIMONIA VETERUM.

Irenaus lib. 5. cap. 1. Neque enim carnem ac sanguinem, quibus nos redemit, vere habuisset, nisi veterem *Adami* fictionem in sese instaurasset.

Quem locum ex Irenaeo Graece citat Theodoretus Dialog. 2. cap. 26. Οὐδὲ γὰρ ἦν ἀληθῶς σὰρξ καὶ αἷμα ἐφικτὸς, δι' ὧν ἡμᾶς ἐξηγόρασμεν.

Tertullianus adversus Judaeos cap. 13. Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.

Origenes in Leviticum homil. 3. pene initio. Si quis bene meminerit eorum quæ dicta sunt, potest nobis dicere, quia sacrificium quod Pontificem pro peccato diximus obtulisse, figuram Christi tenere posuimus; & convenienus non videbitur vero Christo, qui peccatum nescit, ut pro peccato dicatur obtulisse sacrificium, licet per mysterium res agatur: & idem ipse Pontifex, idem ponatur & hostia. Vide ergo si & ad hoc possumus hoc modo occurrere, quia Christus peccatum quidem non fecit, peccatum tamen pro nobis factus est, dum qui erat in forma Dei, in forma servi esse dignatur, dum qui immortalis est, moritur, & impassibilis patitur, & invisibilis videtur, & quia nobis hominibus vel mors vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione superducta est: ipse etiam qui in similitudinem hominum factus est, & habitu repertus ut homo, sine dubio pro peccato quod ex nobis susceperat, quia peccata nostra portavit, vitulum immaculatum, hoc est, carnem incontaminatam obtulit hostiam Deo.

Origenes homil. 4. in numeros. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Verum, quoniam introiit peccatum in hunc mundum peccati autem necessitas propitia

tionis

tionem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato.

In Matth. cap. 16. *Tract.* 11. Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem filii sui. Nec enim empti sumus corruptibili argento vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.

In epist. ad Rom lib. 2. *cap.* 2. Fatemini sine dubio verum esse quod scriptum est in epist. *Petri*: Quia redempti sumus non corruptibili pretio argenti & auri, sed pretioso sanguine unigeniti. Si ergo pretio empti sumus, ut etiam *Paulus* adstipulatur, ab aliquo sine dubio empti sumus, cujus eramus servi, qui & pretium poposcit quod voluit, ut de potestate dimittat quos tenebat. Tenebat autem nos Diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo pretium nostrum sanguinem Christi. Verum donec Jesu sanguis daretur, qui tam pretiosus fuit, ut solus pro omnium redemptione sufficeret, necessarium fuit eos, qui instruebantur in lege, unumquemque pro se velut ad imitationem quandam futuræ redemptionis sanguinem suum dare: & propterea nos, pro quibus complectum est pretium sanguinis Christi, non necesse habemus pro nobis ipsis pretium, id est, sanguinem circumcisionis offerre.

Cyprian Epist. 8. ad Clem. & plebem. Orabat ille pro nobis cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret.

Idem Epist. 63. *ad Cæcilium, parag.* 9. Nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat.

Idem lib. ad Demetrianum, parag. 22. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cœlesti.

Idem, sive alius potius Scriptor libri de cardinalibus Christi operibus ad Cornelium Papam, serm. 7. *qui est de ratione Circumcisionis.* Tantæ dignitatis illa una redemptoris nostri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tanta autoritate in sancta introivit in sanguine proprio, ut deinceps nulla supplicantium postulatio sanguine indigeret alieno.

Idem serm. 16. *qui est de ascensione Christi*: Qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio

pretio quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit, pro mundo dissimilitudo, cum ipse exiguo argento emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret: ut dubium esse non posset, quin pretii magnitudo superaret negotium: nec æquari posset damnum, quod omnino damnatio justa meruerat, obedientiæ Christi, quæ gratis usque ad mortem progressa est, & ultro solvit quod non debebat.

Lactantius de beneficiis Christi.

Quisquis ades mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, &c. Et mox:
Te propter, vitamque tuam sum virginis alvum
Ingressus: sumsi facies homo atque horrenda passus
Funera, &c.

Eusebius Cæsariensis lib. 10. *de demonst. Evangel. in præfat.* Ἔδει γὰρ τὸ ἀμετὲ τὸ Θεὸς τὸ υἱὸν τῦ μεγάλυ ἀρχιερέως ἀναληφθέντα, ὑπὲρ τῦ λοιπῦ συγγενῶν ἀμφὶν ἱκετεύειν πάσης τὴς ἀνθρωπίνης ἀλόγυς, δυνάμει τῦ Θεῦ προσαχθῆναι. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπυ ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπυ ἀνάστασις, ἐκ νεκρῶν.

Idem lib. 10. *cap.* 1. Καὶ καλῶς πάσχοντος ὑπὲς μέλυς συμπάσχει πάντα τὰ μέλη, ὅπε τὸ πολλῶν μελῶν πασχόντων καὶ ἁμαρτανόντων, καὶ αὐτὸς κατὰ τὰς τοιάσδε συμπαθείας λόγυς ὑποδέξηται ἐυδοκήσει Θεῦ λόγος ἂν, μορφὴν δέλυ λαβὼν ἐκ τῆ κοινῆ πάντων ἡμῶν σκηνώματι σωσαφθῆναι τὰς τῶ παθόντων μέλη πόνυς εἰς ἑαυτὸν ἀναλαμβάνει, καὶ τὰς ἁμετέρας νόσυς ἰδιοποιεῖται, καὶ πάντων ἡμῶν ὑπέρλυσις ἐυαρεστεῖ, κατὰ τὰς τῆς φιλανθρωπίας νόμυς. ἐ μόνον δὲ ταῦτα πεφάξας ὁ ἁμετὸς τῶ Θεῶ, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ ἡμῶν πολλαδὲς καὶ τιμωρίαν ὑπομένων, ἵν' αὐτὸς μὲν ἐκ ἀφικλῇ, ἀλλ' ἡμεῖς τῶ πλήθυς ἴσωσιν τῶ παλαμναίων, ἡμῖν αἴτιος τῆς τῶ ἁμαρτημάτων ἀφέσεως καθίςη, ἅτε δὲ ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδιξάμενος θάνατον, μίσησάς τε καὶ ὄκρεις καὶ ἀτιμίας ἡμῖν ἐποφειλομένας εἰς ἑαυτὸν μεταθείς, καὶ τὴν ἡμῖν προσοικειωμένην κατάραν ἐφ' ἑαυτὸν ἐλκύσας, χθιόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. Καὶ τί γὰρ ἄλλο, ἢ αὐτὸ ψυχος; διὸ φησὶν ἐξ ἡμετέρας προσώπυ τὸν λόγον, τὴν μόλυσιν αὐτῶ ἡμεῖς ἰάσημεν, καὶ νῦν παρίδυκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν.

Eusebius de demonstratione Evangelica, lib. 1. *cap.* 10. Καὶ ἐνταῦθα ἱδρῦται ὁ Θεὸς ἐπὶ ἅλυ καὶ ἐπὶ τοῖς ὁλοκαυτώμασιν αὐτῦ· ὅθεν ἡ καὶ ἐξ ἐκείνων θυσίαις αὐτῦ ἐ προσίεται. Ἔνθα δὲ θυσιάσουσι, φησὶν μέλλοντα ζωοθυτήσας λόγος εἰρήνης παρὰ πατρὸς προσαγόμενος τῶ Θεῶ τὴν θυσίαν· καὶ τοῖς ἐξ ἰυδαίων ὅπε πάντων ἐθνῶν ἐκ καθαρῶν ἀνακύκλων ὁλοκαυτώσεις ὅθεν τὸ θυμιαμάμενον, ἐ μόσφάγη κύριος ὅτι μὲν ἰυδαίας,

ἡμᾶς. ἀλλὰ καὶ αἰσχρὰ μὲν ὄντως ἀνωμολόγηται. ὡς γὰρ τῶν τῆς θείας γραφῆς μαρτύρων, πρώτων ἁπάντων τῶν διὰ ζώων θυσίαν ὑπηνιγμένην τοῖς πάλαι θεοφιλέσι. Τύπτε δὲ τὸ λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι τὸ τὸν τύφοντα, καὶ ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θείαν δ' ὑπόνοιαν ὑποδεξάμενον. ἐπειδὴ γὰρ ἱόραν, ἅτε τὸν πρῶτον θυσιασθῆς καὶ θεοῦ προσκαιομένου, θείῳ τι πνεύματι τὰς ψυχὰς πεφωτισμένοι, μεγάλης αὐτοῖς θεραπείας δεῖν εἰς ὑπόκαθαρσιν τῶν ἐντὸς πλημμελημάτων λύτρον τῆς αὐτῶν σωτηρίας τῷ ζῶντι καὶ ψυχῆς χρηστῷ προσφέρεσθαι ἡγοῦντο. ἔπειτα μηδὲν κρεῖττον καὶ τιμιώτερον τῆς οἰκείας ψυχῆς καὶ διεροῦ ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης τῶν τῷ διὰ τὸ ἀλόγων ζώων προσηγον θυσίαν, τῶν σφῶν ψυχῆς ἀντιψυχα προσκομίζοντες. ὑδεὶ κ?ι τοῦτο πλημμελεῖν ὑδ' ἀδικεῖν ἡγούμενοι, ὅτι μηδὲ τῇ τῶν ἀνθρώπων λογικῇ καὶ νοερᾷ δωρεᾷ μείζονα παραπλησίαν εἶναι τῷ ψυχικῶν ἀλόγων ἐπαιδεύοντο, ὑδ' ἄλλο τι εἶναι αὐτῶν ἢ τὸ αἷμα αὐτῶν μαθηκότες, καὶ τῷ ἐν τῷ αἵματι ζωτικῷ διώαμει. ὃ καὶ παρέχειν αὐτοὺς, ὥσπερ ψυχῆς ἀναφέρεσθαι τῷ θεῷ. τοῦτο δ' αὐτὸ μωσῆς λευκότατα πε διασαφεῖ, λέγων, ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστιν· κ? ἐγὼ δέδωκα ὑμῖν τὸ αἷμα ὅπι τὸ θυσιαστήριόν, ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν. τὸ γὰρ αἷμα αὐτῶν ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. διὰ τοῦτο εἴρηκα τοῖς υἱοῖς ἰσραὴλ, πᾶσα ψυχὴ ἐξ ὑμῶν ὐ φάγεται αἷμα. φοβερὸν γοῦν ὄπλακῶς ἐστι τοῦτο, ὅπως εἴρηται τὸ ἐγὼ δέδωκα ὑμῖν ὅπι ἐπ θυσιαστήριόν ἐξιλάσκεσθαι περὶ ἐπ ψυχῶν ὑμῶν. τὸ γὰρ αἷμα ἀντὶ τῆς ψυχῆς ἐξιλάσεται. σαφῶς γὰρ ἀντὶ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς τὸ ἐπ σφαγιζομένων ζώων αἷμα φησιν ἐξιλάσκεσθαι. τοῦτο δ' αὐτὸ καὶ ὁ περὶ ἐπ θυσίας νόμος. ὑποδάλλει γεῖν τῷ πεθεωρημένως σκοπεῖν. πάντα γὰρ ὅσα ἐπ θύονται τοῖς χείλεσι ὀπιδάλλειν προστάττει τὴν κεφαλὴν σὺν θυμῷ, προσκομίζειν δὲ τὸ ζῶον τῷ ἱερεῖ τῆς κεφαλῆς ἀφῃμένον, ὥσπερ ἐκεῖθεν τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσφέρεται. λέγει δ' ἕν ἐφ' ἑκάστῳ· προσάξει αὐτὸ ἐναντι κυρίου. καὶ ὀπιθήσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ ὀπὶ ἐπ κεφαλὴν ἐπ θύρα. καὶ κτᾶται ἐφ' ἑκάστῳ πτώματι, ἑδήματος θυσίας ἄλλως ἀναφερομένης. δι' ὧν ὁ λόγος ὅτι μὴ αντὶ ψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζῶα θυτέ ἑδήματα.

Antonius Eremita Epist. 2. In quo & creaturarum Genitor visceribus motus pro plaga nostra, quæ sanari non poterat, nisi per solam ipsius bonitatẽ, misit Unigenitum nobis, ut per servitutem nostram, servitutis assumeret formam, traderetq; se pro peccatis nostris. Et peccata quidem nostra humiliaverunt eum, sed livore ejus nos omnes sanati sumus.

Macarius Episcopus Hierosolymitanus l. 2. act. concil. Nicæni. Sed venit ipse Salvator omnium, & à nobis debita supplicia in

Alia-

Athanasius de incarnatione Verbi Dei. Ἐπειδὴ γὰρ τὸ ὀφειλόμενον παρὰ πάντων ἔδει λοιπὸν ἀποδοθῆναι. ὠφείλετο γὰρ πάντας ὡς θνητοὺς ἀποθανεῖν, διὸ μάλιστα καὶ ἐπεδήμησεν, τέλειον ἵνα ἔχων μέτρας ἴσον τῆς θεότητος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ εἰκὼν ἐστὶν ἔργων ἀποδείξεις, ἤδη λοιπὸν καὶ ὑπὲρ πάντων τὴν θυσίαν ἀνέφερεν, ἀντὶ πάντων τὸν ἴσον ἑαυτὸν παρεδίδου θάνατον παραδιδοὺς ἵνα τοὺς μὲν πάντας, ἀνυπευθύνους δὲ ἀλλὰ θέμις τῆς ἀρχαίας παραβάσεως ποιήσῃ. δείξῃ γὰρ ἑαυτὸν καὶ θανάτου κρείττονα, ἀπαρχὴν τῆς τῶν ὅλων ἀναστάσεως τὸ ἴδιον σῶμα ἄφθαρτον ὑποδεικνύμενος.

Et mox: Θανάτου γὰρ ἦν χρεία. καὶ θάνατον ὑπὲρ πάντων ἔδει γενέσθαι. ἵνα τὸ παρὰ πάντων ὀφειλόμενον γένηται. ὅθεν ὡς πρέπον, ὁ λόγος, ἐπὰν ἔχ εἶδεν ἐν αὐτὸν ἀποθανεῖν (ἀθάνατος γὰρ ἦν) ἵνα δὲ ἑαυτοῦ σῶμα τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν, ἵνα ὡς ἴδιον ἀντὶ πάντων αὐτὸ προσενέγκῃ. ὡς ὁ μὲν ὑπὲρ πάντων πάσχων διὰ τὸν πρὸς αὐτὸν ὑπόκρισιν, καὶ ἀργήσῃ τὸ κράτος ἔχοντα τὸ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον. ὡς ἀπαλλάξῃ τούτους, ὅσοι φόβῳ θανάτου ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. ἀμέλει τὸ κοινὸν πάντων σωτῆρος ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, κἀκεῖ νῦν ὥσπερ πάλαι κατὰ τὸ νόμος ἀπειλοῦν θάνατον ἀποθνήσκομεν οἱ ἐκ χριστοῦ πιστοί.

Idem ibidem. Καὶ τὴν τοιαύτην θανάτου τρόπον ἡ σωτηρία πάσης γέγονε, καὶ κλῖσις πᾶσα λελύσεται. ἐπὸς ἐστὶν ἡ πάντων ζωὴ καὶ ὡς πρέπον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας αὐτὸ ψυχὴν, τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδοὺς.

Idem in pass. & cruc. Domini. Ἀλλ' ὁρῶν τὸ μὲν τῆς κακίας ἀφεῖλον. καὶ τὸ θνητὸν γένος ἐκ ἰσχυὸν ἀντισῆναι πρὸς τὸν θάνατον, καὶ τὴν τιμωρίαν τῶν κακῶν δουλεῖον ὑποδέχεται. ὑπερῆρε γὰρ πᾶσαν τιμωρίαν ἡ τῆς κακίας ὑπερβολή. ὁρῶν δὲ τὸν ἀγαθότητα, ὁρῶν καὶ τὸν ἑαυτοῦ ἰσχυότητα καὶ δυνάμιν. χρεὼν γὰρ θεοῦ δύναμις καὶ θεοῦ σοφία κεκίνηται φιλανθρωπία. καὶ ὁπόκλειας τὸν ἀθάνατον ἡμῖν, ἐνεδύσατο ταύτην. αὐτὸς γὰρ ὡς ὁ πρόφητης φησὶ, τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἦρε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασε. καὶ ἐλύπησε τὸ θνητὸν ἡμῶν, περιβαλόμενος τοῦτο. λέγει γὰρ ὁ Παῦλος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. ἰδὼν δὲ καὶ τὸ πρὸς τὸν ὑποδοχὴν ἡμῖν τῆς τιμωρίας ἀδυνάτον, ἀνεδέξατο ταύτην αὐτὸς. Χριστὸς γὰρ γέγονεν ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, καὶ ἵνα δὴ τὰ ἀνθρώπινα περιελλόμενος, καὶ ἀμφιασάμενος διὰ ἑαυτοῦ τὰ ἡμῶν προσήγαγε τῷ πατρὶ, ἵνα ὡς αὐτὸς πάσχων ἀβλαβὴς ἡ ἀνθρωπίνη πάσχοντα καταστήσῃ, καὶ μικρὰ μεγάλοις ἀντικαταλλάξηται.

Hilarius Pictavensis in cap. 14. Mat. cap. 14. **Dominus solus passurus pro omnibus omnium peccata solvebat.**

Hymno de Epiphania:

Iesus refulsit omnium
Pius redemptor gentium, &c.

Felix

Felix Ioannes mergere
Illum tremiſcit flumine,
Poteſt ſuo qui ſanguine
Peccata mundi tergere.

Optatus Milevitanus De ſchiſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum lib. 3. Cum dicitis, redimite animas veſtras: unde illas emiſtis, ut vendatis? quis eſt neſcio qui Angelus, qui nundinas facit animarum, quas ante ejus adventum Diabolus poſſidebat? Has ſanguine ſuo Chriſtus Salvator noſter redemit, Apoſtolo dicente: Empti eſtis pretio magno. Conſtat enim ſanguine Chriſti omnes redemptos.

Victor Antiochenus ad cap. 25. *Marci.* Et cur, inquis, univerſorum Dominus & opifex noſtri cauſa homo effectus, tantam ignominiam, tantaque ſupplicia pertulit? Nobis ille aſſimilatus eſt, noſtraſque in ſe miſerias, & cruces ſuſcepit, quo naturam noſtram per peccatum collapſam erigeret, & in priſtinum dignitatis gradum denuo revocaret. Commoda itaque, quæ per illius cruciatus in nos defluxerunt, ſunt permulta: ipſe enim noſtra pro nobis debita luit, ipſe peccata noſtra tulit, ipſe noſtri cauſſa & doluit, & gemuit.

Cyrillus Hieroſolymitanus Catechеſi 13. Ἔλυτρ ὃ πάντας δοὺς ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν κατηχούμενος, καὶ κόσμου ὅλου ἀνθρωπον ἐλυτρώσατο· καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ κόσμου ὅλου ἐλυτρώθη· ὁ γὰρ ἐμὸς ἀνθρωπος φίλος, ἀλλ' υἱὸς Θεοῦ μονογενὴς, ὁ ὑφαπτόμενος καὶ τοῦ λόγου ἰσχύων ἐνὸς ἀνθρώπου τὸν Ἀδὰμ ἁμαρτίαν θανάτου ἐξαγαγεῖν τοῦ κόσμου· εἰ δὲ τοῦ παραπτώματος τοῦ ἑνὸς θάνατος ἐξασθένησεν εἰς τὸν κόσμον, πῶς οὐχὶ μᾶλλον τῆς δικαιοσύνης τοῦ ἑνὸς ἡ ζωὴ βασιλεύσει, καὶ εἰ τότε διὰ τὸ ξύλον τῆς βρώσεως ἐξεβλήθησαν ἐκ παραδείσου· ἆρα, διὰ τὸ ξύλον ἐκεῖνο τοῦ σταυροῦ πεφυτευμένοι πιστεύσαντες, εἰς παράδεισον οὐκ εἰσελεύσονται; εἰ ὁ φωτοπλάστης θανὼν γῆς ἔτυχεν οἰκουμενικῆς θάπτου, ὁ πλάστας αὐτὸν ἀπὸ γῆς, ἆρα οὐ φύσει ζωὴν αἰώνιον αὐτὸς ὢν ζωὴ; εἰ Φινεὲς ζηλώσας τὴν ὀργὴν ἐκατέπαυσε τοῦ Θεοῦ τὸν ὀργὴν· Ἰησοῦς οὐκ ἄλλον ἀντὶ ἄλλου, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀντίλυτρον παρέδωκε, διὰ τὸν ὀργὴν οὐ λύσῃ τὴν κατ' ἀνθρώπων;

Baſilius homilia in Pſal. 48. Ἐυρέθη ἐν, ὁμῶ πάντων ἀντάξιον, ὃ ἐδύνατο εἰς τιμὴν λυτρώσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τὸ ἅγιον καὶ πολύτιμον αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Gregor. Nazianz. Oratione 42. *quæ ſecunda eſt in Paſcha.* Τὸ μέγα καὶ ἄδυτον (ἵν' ὕτως εἴπω) ὅσον ἐπὶ τῇ θεότητι φύσει τῆς ἐμῆς θυσίας ἐγκαταμίμιχ), καὶ κ μικρὰ μέρους τῆς οἰκουμένης,

μένης, οὐδὲ πρὸς ὀλίγον, ἀλλὰ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ διαιωνίζον καθάρσιον.

Idem Ibidem. Ῥανίδες αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλατύνασαι, καὶ γίνονται καθάπερ ὁπὸς γάλακτι πᾶσιν ἀνθρώποις εἰς ἓν ἡμᾶς συνδέουσαι καὶ συνάγουσαι.

Et eadem. Ἔστι τοίνυν ἐξετάσαι πρᾶγμα καὶ δόγμα, τοῖς μὲν πολλοῖς παρορώμενον, ἐμοὶ δὲ καὶ λίαν ἐξεταζόμενον. τίνι γὰρ τὸ ὑπὲρ ἡμῶν αἷμα, καὶ περὶ τίνος ἐχέθη, τὸ μίγα καὶ πραβόντον τοῦ Θεοῦ καὶ ἀρχιερέως, καὶ θύματος. κατειχόμεθα μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, πεπραμένοι, ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἀντιλαβόντες τῆς κακίας τὴν ἡδονὴν εἰ δὲ τὸ λύτρον οὐκ ἄλλου τινὸς, ἢ τοῦ κατέχοντος γίνεται, ζητῶ τίνι τοῦτο εἰσηνέχθη, καὶ δι' ἥν τινα τὴν αἰτίαν. εἰ μὲν τῷ πονηρῷ, φεῦ τῆς ὕβρεως, εἰ μὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ θεὸν αὐτὸν λύτρον ὁ λῃστὴς λαμβάνει, καὶ μισθὸν οὕτως ὑπερφυῆ τῆς ἑαυτοῦ τυραννίδος, δι' ὃν καὶ ἡμῶν φείδεσθαι δίκαιον ἦν· εἰ δὲ τῷ πατρὶ, πρῶτον μὲν πῶς; οὐχ ὑπ' ἐκείνου γὰρ ἐκρατούμεθα· δεύτερον δὲ, τίς ὁ λόγος μονογενοῦς αἷμα τέρπειν πατέρα, ὃς οὐδὲ τὴν Ἰσαὰκ ἐδέξατο παρὰ τοῦ πατρὸς προσφερόμενον. ἀλλ' ἀντηλλάξατο τὴν θυσίαν, κριὸν ἀντιδοὺς τοῦ λογικοῦ θύματος. ἢ δῆλον, ὅτι λαμβάνει μὲν ὁ πατὴρ, οὐκ αἰτήσας, οὐδὲ δεηθείς. ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκονομίαν, καὶ τὸ χρῆναι ἀγιασθῆναι τῷ ἀνθρωπίνῳ τοῦ θεοῦ τὸν ἄνθρωπον. ἵν' αὐτὸς ἡμᾶς ἐξέληται, τοῦ τυράννου βίᾳ κρατῆσας, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐπαναγάγῃ. διὰ τοῦ υἱοῦ μεσιτεύσαντος, καὶ εἰς τιμὴν τοῦ πατρὸς τοῦτο οἰκονομήσαντος, ᾧ τὰ πάντα παραχωρῶν φαίνεται.

Gregorius Nyssenus ad Olympium Monachum de perfecti nominis forma. Ἀπολύτρωσιν δὲ εἶναι τὸν Χριστὸν μαθόντες, τὸν ἑαυτὸν δόντα λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν. τοῦτο διὰ τῆς τοιαύτης φωνῆς παιδευόμεθα, τὸ μαθεῖν ὅτι καθάπερ τιμὴν τινὰ τῆς ἑκάστου ψυχῆς παραχόμενος ἡμῖν, τὴν ἀθανασίαν κτῆμα ἴδιον τὸν ἐκ τοῦ θανάτου παρ' αὐτοῦ διὰ τῆς ζωῆς ἐξαγορασθέντας ἐποίησεν.

Ambrosius lib. de Tobia cap. 10. Ecce venit hujus mundi Princeps & in me suum nihil invenit. Nihil debebat, sed solvebat pro omnibus, sicut ipse testatur dicens, Quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Idem lib. de Ioseph Patriarcha cap. 4. Venditus est *Joseph* in *Ægypto* quia Christus venturus erat ad eos quibus dictum est, Peccatis vestris venditi estis. Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpæ, peccatique pretio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum, non suo ære contraxit: chirographum sustulit, fœneratorem removit, exuit debitorē, unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur.

Am-

Ambroſius de Eſau. ſive de Fuga ſeculi cap.7. Deus ideo ſuſcepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret: & factus eſt pro nobis maledictum, ut benedictio abſorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia ſententiam, vita mortem. Suſcepit enim mortem, ut impleretur ſententia: ſatisfieret judicato per maledictum carnis peccatricis uſque ad mortem. Nihil ergo factum eſt contra ſententiam Dei, cum ſit divinæ conditio impleta ſententiæ. Maledictum enim uſque ad mortem, poſt mortem autem gratia.

Idem lib.9. Epiſt.71. Veniens Dominus Ieſus, peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, & chirographum noſtrum ſui ſanguinis effuſione delevit. Hoc eſt quod ait: ſuperabundavit peccatum per legem: ſuperabundavit autem gratia per Ieſum. Quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit.

Lib.1. Epiſt.11. Vide ne iſta ſit hoſtia ſalutaris, quam verbum Deus in ſe ipſo obtulit, atque in ſuo immolavit corpore. *Et paulo poſt*: Quod vero ad altare effundit ſanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remiſſionem omnium peccatorum. Etenim ſanguinem illum ad altare quaſi hoſtiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hoſtia eſt, ſed agnus non irrationabilis naturæ, ſed divinæ potentiæ: de quo dictum eſt. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non ſolum enim mundavit ſanguine delicta univerſorum, ſed etiam divina poteſtate donavit.

Idem ſuper Lucam lib.7. cap.12. Adverſarius tanquam captiva mancipia viliori pretio æſtimationis addicit. At vero Dominus tanquam ſpecioſa ſervitia, quæ ad imaginem & ſimilitudinem ſui fecit, idoneus operis æſtimator, magno pretio nos redemit: ſicut Apoſtolus dixit: Empti enim eſtis pretio magno. Et bene magno, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine. Quia pro nobis mortuus eſt Chriſtus, qui pretioſo nos ſanguine liberavit, &c. Et bene pretioſo, quia immaculati corporis ſanguis eſt, quia ſanguis eſt filii Dei, qui non ſolum de maledicto legis, ſed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.

Idem lib.10 ſuper Lucam in illud cap.22. Peccavi quod tradiderim ſanguinem innoxium: Pretium ſanguinis eſt pretium dominicæ paſſionis, Ergo pretio ſanguinis emitur mundus à Chriſto.

Lib.3. de virginitate ſub finem: Eramus oppignerati malo credi-

creditori peccatis: contraximus chirographum culpæ, pœnam ſanguinis debebamus. Venit Dominus Ieſus, ſuum pro nobis ſanguinem obtulit. Et *mox*: Ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne veniat Chriſtus, qui te mundavit, qui te redemit, & ſi te in peccato invenerit, dicat tibi: Quæ utilitas in ſanguine meo? Quid profeci tibi dum deſcendo in corruptionem?

Lib. 1. *de apologia David cap.* 13. Præclare Apoſtolus ait, Quia donavit nobis peccata Dominus Ieſus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum, inquit, de medio tulit affigens illud cruci. Delevit ſanguine ſuo atramentum *Hevæ*, delevit hæreditatis obnoxiæ obligationem.

In Epiſt. ad Hebr. cap. 9. Sed illius fuit tota veteris Teſtamenti corporalis mundatio: nunc autem ſpiritualis eſt mundatio ſanguinis Chriſti. Ideo dicit: Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti in remiſſionem peccatorum. In illis quidem in ſuperficie adſpergebatur, & iterum diluebatur aſperſus: neque enim cruentatus ſemper deambulabat populus. In animâ vero non ita eſt, ſed ipſius eſſentiæ commiſcetur ſanguis, fontem illum faciens mundum & inenarrabilem pulchritudinem producens. Propter hoc agni occiſio fuit & ſanguis ejus ſuper liminaribus liberandorum illitus eſt. Propter hoc etiam omnia ſacrificia veteris Teſtamenti leguntur, ut hoc unum ſacrificium deſignarent; per quod vera eſt remiſſio peccatorum & mundatio animæ in æternum.

Idem, ſeu potius Scriptor comment. in Epiſt. Pauli Ambroſio tributorum in 1. *ad Cor. cap.* 6. Quia caro pretio empti ſumus, propenſius Domino noſtro ſervire debemus, ne offenſus à qua nos redemit, morti nos reddat. Quam enim cariſſimo pretio nos emit, ut ſanguinem ſuum daret pro nobis.

Idem in ejuſdem Epiſt. cap. 11. Nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus, quia ſanguis Domini ſanguinem noſtrum redemit, id eſt, totum hominem ſalvum fecit. Caro enim Salvatoris pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra effuſus.

Idem in Epiſt. ad Cor. 11. *cap.* 5. Quoniam oblatus eſt pro peccatis, non immerito peccatum factus dicitur, quia & hoſtia in lege, quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur, ut nos eſſemus juſtitia Dei in ipſo, qui pec-

peccatum nesciebat: dicente *Iesaia*, Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud Deum in Christo.

Epiphanius Haresi 55. Πρῶτον μὲν ἑαυτὸν προσηνέγκας, ἵνα λύσῃ θυσίαν παλαιὰς διαθήκης, τὴν ἐντελεστέραν ζῶσαν ὑπὲρ παντὸς κόσμου ἱερουργήσας, αὐτὸς ἱερεῖον, αὐτὸς θύμα, αὐτὸς ἱερεὺς, αὐτὸς θυσιαστήριον, αὐτὸς Θεὸς, αὐτὸς ἄνθρωπος, αὐτὸς βασιλεὺς, αὐτὸς ἀρχιερεὺς, αὐτὸς πρόβατον, αὐτὸς ἀρνίον, τὰ πάντα ἐν πᾶσιν ὑπὲρ ἡμῶν γενόμενος, ἵνα ἡμῖν ζωὴ κατὰ πάντα τρόπον γένηται, καὶ τῆς ἱερωσύνης αὐτοῦ τὸ ἀμετάστατον ἐδραίωμα εἰς τοὺς αἰῶνας ἀπεργάσηται.

Andreas Caesariensis ad cap. 1. *Apoc.* Illum, inquit, decet honor, gloria, & Imperium, qui ardenti charitate incensus, sua morte genus nostrum à mortis vinculis liberavit, sanguinisque vivifici, & aquæ effusione à peccatorum sordibus nos abluit, ac in regium sacerdotium cooptavit.

Prudentius in Rom. Mart.

Hac illa crux est omnium nostrum Salus.

Romanus inquit, hominis hac redemptio est.

Chrysostomus proœmio Comment. in Esaiam. Quam multæ est Deus erga nos clementiæ? Filio non pepercit, ut parceret servo: unigenitum tradidit, ut redimeret servos plane ingratos, sanguinem filii sui luit in pretium.

Hieronymus lib. 1. *adversus Pelagianos.* Cumque ait, voluerit intrare, offerat vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, duosque hircos accipiat ab universo populo: unum ex eis offerat pro peccato suo, & unum pro peccato populi, & arietem in holocaustum. Alter hircorum cuncta peccata suscipit populi, in typum Domini Salvatoris, & effert in solitudinem: & sic placatur Deus omni multitudini.

Idem in Esai. cap. 53. Despectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri, Deus meus, quare me dereliquisti?

Augustinus de Trinitate, lib. 13 *cap.* 14. Quæ est justitia qua victus est Diabolus? Quæ, nisi justitia Iesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est, ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem

quem ſine ullo debito occidit. Hoc eſt quod juſtificari dicimur in Chriſti ſanguine. Sic quippe in remiſſionem peccatorum noſtrorum, innocens ſanguis ille effuſus eſt.

Et mox: Pergit inde ad paſſionem, ut pro debitoribus nobis, quod ipſe non debebat, exolveret. *Et cap. proximo*: Tunc ſanguis ille, quoniam ejus erat qui nullum habuit omnino peccatum, ad remiſſionem noſtrorum fuſus eſt peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obſtrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Hac juſtitia victus & hoc vinculo victus eſt fortis, ut vaſa ejus eriperentur, quæ apud eum, cum ipſo & Angelis ejus fuerant vaſa iræ, & in vaſa miſericordiæ verterentur.

Idem in Ioannem tract. 41. Non reconciliamur, niſi ablato peccato, quod eſt medium ſeparans: ſed mediator eſt reconcilians. Ut ergo tollatur maceria ſeparans, venit ille Mediator, & factus eſt ſacrificium Sacerdos ipſe.

Lib 7 de Civ. Dei cap. 31. Deus miſit nobis Verbum ſuum, qui eſt ejus unitus Filius, quo pro nobis in aſſumpta carne nato atque paſſo, quanti Deus hominem penderet noſceremus, atque illo ſacrificio ſingulari à peccatis omnibus mundaremur, ejuſque ſpiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa, omnibus difficultatibus ſuperatis in æternam requiem veniremus.

Enarratione in Pſal 95. Tenebantur homines captivi ſub diabolo, & dæmonibus ſerviebant; ſed redempti ſunt à captivitate. Vendere enim ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? Quid, niſi totus orbis? Quid, niſi omnes gentes? Valde ingrati ſunt pretio ſuo, aut multum ſuperbi ſunt qui dicunt, aut illud tam parvum eſſe, ut ſolos *Afros* emerit: aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum. Non ergo exultent, non ſuperbiant, pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit.

In Pſal. 129. Sacerdos noſter à nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem: in ipſa carne victima factus eſt, holocauſtum factus eſt, ſacrificium factus eſt.

Lib.

Lib. 4. contra duas Pelagianorum Epiſt. cap. 4. Sed *Pelagiani* quomodo dicunt ſolam mortem ad nos tranſiſſe per *Adam*? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus eſt, ille autem mortuus eſt quia peccavit, pœnam dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto judicio puniri trahendo mortem ſine meritis mortis. Quod de uno ſolo Mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu Catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc eſt, peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt. Sicut enim ſolus ideo factus eſt hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam. Quia ſicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali.

Lib. 14. contra Fauſtum Manich. c 4. Suſcepit Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum, ut inde ſolveret reatum noſtrum, & finiret etiam ſupplicium noſtrum.

Idem Sermone octavo de Tempore: Duplex principaliter cauſſa eſt, ob quam Dei filius factus eſt filius hominis. Una eſt, ut ſecundum hominem, omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim *Eſaias* Propheta prædixerat: Hic peccata noſtra portavit, &c. Altera vero cauſſa eſt dominicæ paſſionis, ut nos, quos ſanguine ſuo redemit, à vitiis atque criminibus, non ſolum doctrinæ auxilio & gratiæ; ſed etiam exemplo ſuo ad ſtudium ſanctitatis accenderet.

De Temp ſerm. 101. Mors niſi à morte ſuperari non poterat: ideo mortem Chriſtus ſuſtinuit, ut injuſta mors juſtam vinceret mortem, & liberaret reos juſte, dum pro eis occidebatur injuſte.

Et ſerm. 141. Dominus noſter Ieſus Chriſtus communicando nobiſcum ſine culpa pœnam, & culpam ſolvit & pœnam.

De ſerm Domini in Luc. ſerm. 37. Culpa eſt quod injuſtus es: pœna eſt, quia mortalis es. Ille ut eſſet proximus, ſuſcepit pœnam tuam: non ſuſcepit culpam tuam: & ſi ſuſcepit, delendam ſuſcepit, non faciendam. *Et mox:*

Suſcipiendo pœnam & non ſuſcipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam.

Cyrillus in Leviticum lib. 10. Tunc clamavit omnis populus, ut *Barrabam* dimitteret, Ieſum vero morti traderet. Ecce habes hircum qui dimiſſus eſt in eremum vivus peccata populi ſecum ferens, clamantis & dicentis, crucifige, crucifige.

cisige. Iste est ergo hircus vivus dimissus in eremum, & ille est hircus qui Domino oblatus est hostia ad repropitianda peccata, & veram propitiationem in se credentibus populis fecit.

Idem contra Iulianum lib. 9. Vide igitur Sacramentum & quomodo in duobus hircis bene delinietur. Caper enim, hoc est, hircus pro peccatis Sacerdotis & populorum occidebatur, secundum quod in lege jubebatur. Quoniam autem pro peccatis nostris immolatus est Christus, hirco assimilatur. Nam sic dicit Propheta *Iesaias*, omnes sicut oves erravimus, homo via sua erravit, & Dominus tradidit ipsum pro peccatis nostris. Nam duo hirci assumuntur; non quod duo Christi, hoc est, duo filii secundum aliquos, sed magis quod oportebat videri etiam occidendum pro nobis & morientem quidem secundum carnem, viventem autem secundum spiritum.

Idem in Iohan. lib. 11. cap. 1. Unus pro omnibus agnus occiditur, ut omne genus hominum Deo Patri offerat. Unus pro omnibus, ut omnes lucrifaciat, ut omnes non ulterius sibi ipsis, sed Christo, qui pro omnibus mortuus est, & pro omnibus resurrexit, vivant. Nam quoniam in peccato eramus, atque iccirco morti atq; interitui debebamur, filium suum pater in redemptionem pro nobis dedit. Unum pro omnibus, quoniam & omnes sunt in ipso, & omnibus ipse melior est.

Idem Homil. Ephesi in Nestorium dicta. Revera (impii hi hæretici) perditionis sunt filii, & semen iniquum, qui Dominum, à quo sunt empti, negent: Empti enim sumus pretio, non quidem corruptibili, puta auro & argento, sed pretioso sanguine, tanquam agni immaculati & incontaminati, Christi. Quomodo fuisset autem sanguis vulgaris hominis similis nobis orbis redemptio?

Exegesi ad Valerianum de Verbi incarnatione: quæ extat concil. Eph. T. 6. c. 17. Qui corporis expers erat ut Deus, corpus sibi aptatum fatetur, quo eo pro nobis oblato, suo nos omnes livore, juxta Prophetæ vocem sanaret. Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis fuisse dicamus? Quod si vero Verbum secundum humanam naturam passum propriæ carnis perpessiones, quasi proprias in se transtulit, sibique vindicavit, tunc demum unius mortem secundum carnem omnium hominum vitæ præponderasse rectissime asserimus.

Theodoretus Quæst. 9. in Num. Μόνος γὰρ ὁ δικαιότατος Χριστὸς ὑπὲρ ἀνθρώπων τὰ ἀμώμητα ἔσχεν, ἐφ' ᾧτινι καὶ περὶ αὐτοῦ ὁ προφήτης Ἡσαΐας βοᾷ· ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. τάττει δὲ χεῖρα καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἁμαρτίας ἀνελαβεν, οἰκείας οὐκ ἔχων. ὅτε γὰρ φησὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ οὐκ ἀμῶν ὀδυνᾶται, καὶ ὁ μέγας Ἰωάννης· Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου. διὰ τοῦτο ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος, ὡς ἀδίκως ὑπομείνας τὰ δίκαια.

Idem Serm. 10. de Providentia sic Dominum inducit loquentem. Ἀποδέδωκα γὰρ ὑμῖν τὸ χρέος, οὐκ ὀφειλων γὰ δίκαιον, δίκαιον ὑπομένων, καὶ μὴ ὑπομείνων θανάτου ὑπεύθυνος· μᾶλλον δὲ δίκαιος καὶ ἀνεύθυνος ὤν, ἵνα γράφω τοῖς ὑπὸ ζυγοῦ. καὶ ὀφλημάτων ὑπάρχων ἐλεύθερος, μὴ τῶν ὀφειλόντων ἐπάχθω, ἀπέδωκα τοίνυν τὸ τῆς φύσεως ὄφλημα. ἐθανατον οὖν ἀδίκως ὑπομείνας, καλλιόν τὰ δίκαιον· καὶ τὰς ἀνδίκως καὶ χαλεπῶς θείς, τῆς εἱμαρμένης ἀπολύω. βλέπε τὸ γεγραμμένον τῆς φύσεως ἀπειλημμένην ὦ παρὰ θάνατος. βλέπε αὖ τὸ τῶν σταυρῶν πρόσπλωμα, καὶ τῶν γεγραμμένων τῆς ἁμαρτίας ἀπαλλαγμένον. βλέπε αὖ τὸ ποινικὸν ὑπογεγραμμένον διεξιόν. ἀπέδοσαν τοίνυν οἱ τῶδε τῶ σώματος ὀφθαλμοὶ, ὧν τῶν κακῶς θεασαμένων ὁμμάτων. αἱ τῶδε ἀκοαὶ, ὧν τῶν ἀκούσῃ μολυσμὸν ἐξαμύναν. ἡ γλῶττα, ἐσαύτως, αἱ χεῖρες, ἐ τὰ λοιπὰ μέλη, ὧν τῶν ἐν αὐτοῖς ἁμαρτίαν δικαιοπραξάμενον μελῶν ἢ χρέος ἐκπεδίνει, προσκεῖται τὸ πάντα χαρίσασθαι καθειργμένους, τῆς εἱρκτῆς ἀπαλλαγῆναι, καὶ τὴν προτέραν ἀπολαβεῖν ἐλευθερίαν, ἐ εἰς τὸ παγκόσμιον χωρίον ἐπανελθεῖν.

Proclus Constantinopolitanus homil. de Christi nativitate, Πολλὰ ὤφειλεν ἐξ ἁμαρτιῶν ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις, καὶ ἠπόρει πρὸς τὸ χρέος. Διὰ γὸ τὸ ἁπάντας τὴν ἁμαρτίαν ἐχειρογράφησαν, ἔλκει ἡμᾶς καὶ ἔχει ὁ διάβολος· τὰς ὠνὰς ἡμῶν προσφέρεται γράφῃ κεχαραγμένον τῷ πολυπαθεῖ ἡμῶν σώματι. εἰσήκει ὁ κακὸς τῶν παθῶν πλαστουργός, ὄλισθείαν ἡμῖν τὸ χρέος, καὶ ἀπαιτεῖν ἡμᾶς τὸν δίκην. ἔδει τοίνυν δυοῖν θάτερον, ἢ παῦσι ἐπαχθῆναι τὸ ἐκ τῆς καταδίκης θάνατον, ἐπειδὴ καὶ πάντες ἥμαρτον, ἢ τοιοῦτον δοθῆναι πρὸς ἀντίδοσιν τίμημα, οὗ πᾶν ὑπῆρχε δικαίωμα πρὸς παράτασιν. ἀνθρώπου μὲν ἦν σῶσαι τὸν ἠδύνατο. ὑπὲρ εἶλε γὰρ τὴν χρέος τῆς ἁμαρτίας. Ἄγγελος ἐξαρκέσαι τὴν ἀνθρωπότητα οὐκ ἴσχυεν· ἐκώρμησε γὰρ τοιούτῳ λύτρῳ. λοιπὸν ἦν ὁ ἀναμάρτητος Θεὸς ὑπὲρ τῶν ἁμαρτητῶν ὑποδῦναι σῶμα. Αὐτὸς γὰρ ἐλεήσατο μόνος τὸν κακῶς ἢ λύσις. Τίς; αὐτὸς ὁ πᾶσαν φύσιν ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν, ᾧ μισθὸν πρὸς παρέχειν ἄπορον, ἐξοδίοις τοῖς κατακρίτοις, ζωὴν ἀσφαλεστάτην, ἐ τὴν θανάτου λύσιν ὁριστικωτάτην, καὶ γενέσθαι ἄνθρωπον ἐκ παρθένου,

ὡς

ὡς ὄντως ἀνθρώπος, λόγῳ δὲ ἁρμόσασα τὸ σῶμα ἑαυτῷ· καὶ ἀποθνήσκει ὡς ἐγένετο· καὶ λυτρᾶται ὑπὲρ ἡμῶν, καθὼς λέγοντα Παῦλον, ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων. ὦ τῆς μεγάλης ἀναξιμάτου! ἄλλοι ἱκανὰ ἁμαρτήσαντο τὸ ἀθάνατον. αὐτὸς γὰρ ὑπῆρχεν ἀθάνατος.

Leo de paſſ. ſerm 12. Quam ſibi in hujus Sacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtantiæ veritatem? Dicant quo ſacrificio reconciliati, quo ſanguine ſint redempti? Quis eſt qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis? Aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod Pontifex verus altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamvis enim in conſpectu Domini multorum ſanctorum preciosa fuerit mors, nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſolvit, cum inter filios hominum ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus exiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati.

Claudianus Mamertus de ſtatu animæ lib. 2. *Pictavus Hilarius* inter complura præcelſarum diſputationum ſuarum, quiddam ſecius ſentiens, duo hæc veris adverſa diſſeruit. Unum quod nihil incorporeum creatum dixit. Aliud, nihil doloris Chriſtum in paſſione ſenſiſſe. Cujus ſi vera paſſio non fuit, redemptio quoque noſtra vera eſſe non potuit.

Anaſtaſius Sinaita, Epiſc. Antiochenus de rectis fidei Catholicæ dogmatibus lib. 4. *de paſſione & impaſſibili Deitate Chriſti.* Effuſus eſt ſanguis ejus, qui multis redimendis ſufficeret: forſan melius fuerit dicere omnibus; ſunt ſiquidem & omnes multi.

Procopius Gazæus in Exodi cap. 24. Cum Chriſtus natura ſit conjunctus Patri, ſi ejus participes facti fuerimus per Spiritum, connectemur per ipſum quoque Patri, in divinæ naturæ ſocietatem venientes. Nec aliter illi contenderunt in montem, quam prius exercitati ſanguine Chriſti, qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro nobis, offerens carnem ſuam, ut irreprehenſibile ſacrificium Deo & Patri.

Gregorius M lib. 3. Moral cap. 13. Alius ad Paradiſum conditus divinæ potentiæ ſimilitudinem ſuperbe rapere voluit: ſed tamen culpæ hujus ſuperbiæ ſine culpa mediator exſolvit. Hinc eſt quod patri quidam ſapiens dicit: Cum ſis juſtus, juſte omnia diſponis: eum quoque qui non debet puniri, condemnas. Sed penſandum eſt, quomodo juſtus ſit, & omnia juſte diſponat, ſi eum qui non debet puniri, condemnat. Mediator enim noſter puniri pro ſeipſo non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed ſi ipſe indebitam mortem non ſuſciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum juſtus ſit, juſtum puniens omnia juſte diſponit: quia per hoc cuncta juſtificat, quod eum qui ſine peccato eſt pro peccatoribus damnat.

Iſychius in Levitici cap 16. Lex filios *Iſrael* reos maledicto & morti conſtituit, ut propterea neceſſariam haberent expiationem. & pro eis quidem principaliter unigeniti immolatur ſacrificium. Immolatur autem & pro omnibus hominibus, ita ut *Caiphas* diceret: Oportet ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quodque dictum erat confirmans, ſimulque & corrigens Evangeliſta *Johannes*, addidit: Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit quia moriturus eſſet Jeſus pro gente, & non ſolum pro gente, ſed ut filios Dei qui diſperſi erant in unum colligeret: gentes videlicet. *Et paulo poſt:* Pro ſenſibili *Iſrael* Jeſus immolatus, & pro omni humano genere ad expiationem immunditiarum noſtrarum obtulit.

Antiochus in Exomologeſi. Verbum tuum nulla prorſus aſpergine peccati decoloratum, quem per tuæ viſcera miſericordiæ miſiſti, ſuum ut plaſma revocaret in viam, caro factus, noſtri cauſſa paſſus eſt crucifigi, & abolevit quod adverſum nos erat chirographum, peccatorum noſtrorum factus propitiatio.

Sophronius Hieroſolymitanus Epiſt. ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Pro hominibus Chriſtus mori dignatus eſt, & pro eorum redemptione ſuum divinum ſanguinem ſudit, & munus præ omni dignitate divinius ſuam animam poſuit.

Elias Cretenſis, ad orat. 1. Nazianzen. Chriſtus dictus eſt redemptio, ut nos, peccato venditos, in libertatem aſſerens, & quia pro totius orbis expiatione tanquam redemptionis pretium ſeipſum dedit.

Nice-

Nicephorus Constantipolitanus Ep. ad Leonem 3. quæ extat apud Baronium tom. 9 annal. pag. 587. edit. Mor. 11. Credo eum crucifixum esse, non in qua splendet cum Patre substantia, etsi Dominum gloriæ crucifixum fuisse dicitur, in sermone retributionis, sed in terrena nostra natura, in qua terrestrem nostram massam suscepit, & maledictum pro nobis factus est, ut benedictionis, quæ ab eo est, socios nos efficeret, & malefactorum secundum carnem sustinuit mortem pati, ut mortis aculeum mortem sustinendo condemnaret in carne sua, & destrueret hunc, qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum.

Marcus Eremita lib. de his qui putant se operibus justificari, cap. 20. Χριστὸς δεσπότης κατ' οὐσίαν καὶ δεσπότης κατ' οἰκονομίαν, ὅτι καὶ μὴ ὄντας ἐποίησε, καὶ τῇ ἁμαρτίᾳ θανόντας, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος ἐξεγόρασε, καὶ τοῖς οὕτω πιστεύουσι τὴν χάριν ἐδωρήσατο.

Theodorus Abucara Episcopus Carum disp. 15. *cap.* 5. Deus justo judicio suo à nobis omnia exigebat, quæ in lege scripta sunt: quæ, cum solvendo non essemus, idcirco pro nobis Dominus noster illa persolvit: & maledictionem condemnationemque cui obnoxii eramus assumpsit, ultroque in se recepit: quæ pati debueramus, illa ipse pertulit.

Idem ibidem. Iam mihi quinam sint hostes illi quinque edissere, à quibus nos Christus liberavit. A. Mors, Diabolus, legis maledictio, atque condemnatio, peccatum, & infernus. B. Quod ad mortem quidem attinet, eam Christi obedientia destructam esse dixisti: sic etiam quonam modo nos à Diaboli servitute liberarit: eloquere jam qui nos à legis maledictione redemerit, factus pro nobis maledictio? *Et post pauca.* A. Iusto suo judicio Deus à nobis omnia illa exigebat, quæ in lege scripta sunt, quæ cum solvendo non essemus, idcirco pro nobis Christus Dominus noster illa persolvit, & maledictionem, condemnationemque, cui obnoxii eramus, assumpsit, ultroque in se recepit, & quæ pati debueramus, illa ipse pertulit, flagellatus, sputis conspersus, percussus, colaphis cæsus, crucifixus, & pro nobis mortuus est.

Theophylactus in cap. 1. *ad Hebr. verba illa: Per seipsum faciens purgationem peccatorum nostrorum.* Cum locutus esset de majestate divinitatis Verbi, deinceps de cura ipsius, quam in homines per carnem gerit, disserit, quod multo majus est, quam quod omnia ferat. Duo autem hic ponit, tum quod

mundarit nos à peccatis, tum quod per ſeipſum hoc fecerit. Nam per crucem & mortem, quam ipſe ſuſtinuit, purgavit nos, non ſolum, quod mortuus ſit pro peccato noſtro, cum ipſe omni peccato vacaret, quodque pœnas luerit, quas ipſe tamen nobis non debebat, ac ſolverit naturam quæ ſimpliciter ob *Adami* peccatum ac tranſgreſſionem condemnata erat, &c.

Ad cap. 9. Eam ob rem mortuus eſt Chriſtus, ut nos mundaret, ac in teſtamento reliquit nobis condonationem noxæ, ac uſum paternorum bonorum, Mediator factus Patris noſtri. Pater enim noluit nobis dimittere hæreditatem, ſed iraſcebatur ut filiis rejicientibus ipſum & abalienatis. Chriſtus itaque Mediator factus reconciliavit nobis ipſum. Quomodo? Quod nos oportebat pati, (mori enim debuiſſemus) hoc ipſe pro nobis ſuſtinuit, noſque dignos teſtamento reddidit.

Anſelmus de concept Virginis & pecc. Orig. cap. 21. Dicit aliquis, Si non habent ſinguli peccatum *Adæ*, quomodo aſſeris nullum ſalvari ſine ſatisfactione peccati *Adæ*? Nam qualiter juſtus Deus exigit ab illis ſatisfactionem quam non habent? Ad quod dico, Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet: ſed quoniam nullus poteſt reddere quantum debet, ſolus Chriſtus reddidit pro omnibus qui ſalvantur, pluſquam debetur.

Bernardus Epiſt. 190. *ad Innocentium.* Homo qui debuit, homo qui ſolvit. Nam ſi unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter jam inveniatur, qui forefecit, alter qui ſatisfecit: quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis.

Arnoldus Carnotenſis opuſc. de ſeptem verbis noviſſimis à Chriſto in cruce prolatis, Tract. 1. Deſeritur cum derelictis, & pro natura quam aſſumpſerat, tributum ſolvit & evecturus ſecum genus ſuum ultra hujus ſeculi pelagus, piratis rapacibus naulum carnis ſuæ protulit, inviſcatiſque dentibus eorum illuſit voracibus; & tam ſe quam prædam ſuam abſtraxit & evexit. Pro debitoribus debitorem ſe objecit, & quod ex ſe non debebat, ultro debere non abnuit, ideoque totius debiti ſummam ab eo qui pro omnibus ſe tradebat, exactor exegit.

Ni-

Nicetas Choniates in annalibus, in Iohanne Commeno, Τὸ τῆς ἡμετέρας φύσεως πρῶτον πρωτὸν ἀνήγειρεν ὁ Χριστὸς ὅλη σταυρῷ τὰς χεῖρας διελὼν, καὶ μιᾷ σφαγῇ ῥαγίσι κόσμου ὅλου εἰς ἄφεσιν ἀγαγών.

Nicolaus de Cusa Cardinalis Excitationum lib. 10. Propter noſtram juſtificationem ſic actum eſt per Chriſtum. Nam nos peccatores in ipſo infernales pœnas, quas juſte meremur, exſolvimus.

FINIS.

GERARDI IOHANNIS VOSSII

Resonsio ad Judicium

HERMANNI RAVENSPERGERI,

De Libro,

Ab

HUGONE GROTIO, V.CL.

pro Catholica fide *de Satisfactione Iesu Christi*, scripto adversus *Faustum Socinum*.

LONDINI.
Ex officina ROGERI DANIELIS. 1661.

PRÆFATIO.

IN confesso est apud omnes, hæreticis eum melius quam Catholicis consulere, qui callidum fidei Christianæ hostem ita in tabella populo spectandum offert, quasi dogmati faveat Catholico, cui bellum ἀπροσδόκητον indixit: strenuum autem veritatis defensorem ita depingit, quasi cum hæretico colludat; quem fortiter oppugnat. Aut qui de manibus excutere conatur argumenta valida munitaque, quibus ad incitas redigi adversarius possit: & ubi quasi decretoria adsunt arma, pugnare illis jubet, quæ apta magis sint ad ludendum, quam lædendum. Nihil vero horum in gravissima controversia de Satisfactione Christi, facere veritus est, non mystes primo suo quadriennio in subdivali hærens, sed epopta aliquis, vel etiam supra epoptam, cujus animus, in disceptatione ejus quæstionis contra Socinum, tanta caligine obsceptus fuit, ut neque ea vidisse videatur, à quorum conspectu nec initiati ipsi prohibentur. Est is Hermannus Ravenspergerus, Theologus Groningensis, qui libello quodam oppugnandam cæpit Defensionem Catholicæ Fidei de Satisfactione Christi adversus Socinum, susceptam ab Amplissimo, & non divinarum minus quam humanarum rerum scientissimo, Hugone Grotio. Hoc libello suo Censor iste ea, quæ certa sunt, in dubium vocat, de quibus in Ecclesia Dei disputatur, inter certissima reponit; quæ dixit Grotius, dixisse negat; quæ non dixit, dixisse comminiscitur;

tur; &, quod caput est, dum credibile faciat, vidisse se aliquid Grotio *invisum, nihil dixisse* Grotium Socino *indictum, parum pensi habet, si in cardine controversiæ, ubi longissime à Catholicis abest* Socinus, *fingat eos consentire: aut si Scripturas, quibus velut amentatis hastis valide pugnatur in* Socinum, *ex ejus mente exponat, & contra eum pugnaturis pro gladiis acutis præbeat hebetes & plumbeos. Hoc ut liqueat omnibus, interest Catholicæ veritatis, ne ejus & defensores & hostes alba, ut dicitur, linea signentur, & sine cura discriminis legantur: interest studiosæ juventutis, ne ab hoc Censore discat male rem gerere adversus* Socinum: *interest* Grotii, *Cui si pro utili opera honorem habere nolumus, saltem ne malam rependi Gratiam sinamus: interest multorum præstantium virorum, qui autores fuerunt Amplissimo Viro, ne præclarum laborem suum diutius publico invideret: interest denique nostra, qui hoc ipsum suasisse nos, proloquio operi* Grotiano *præmisso, publice jamdudum testati sumus: ut cum* Ravenspergerus *inclementer adeo in* Grotium *dicit, non ejus solum dignitati illudat, quod per se ipsum grave erat, sed eadem tum Catholicæ veritati injurius sit, tum omnibus ejus studiosis plurimum incommodet, tum tacite tot magni nominis virorum judicium reprehendat, tum, si hoc quoque in rationem venire æquum est, non obscure immanis inscitiæ me reum agat. Etsi igitur minime placent, qui avium νεπόδων instar, nisi alienis insideant humeris, quiescere non possunt: ac multum eorum mores semper quidē aversatus, qui criminando viros præclare de Rep. vel Ecclesia merentes ad honorem grassantur (a qua culpa quam immunis sit Censor, rectius alii judicabunt) tamen hoc tempore, ut ipse potissimum acerbissimæ* Ravenspergeri *accusationi responderem, passus sum mihi persuaderi à viris aliquot piis juxta ac eruditis: qui judicabant, nebulas, controversiæ de Satisfactione Christi à Censore offusas, ocyus esse detergendas; atque id ob eam quam dixi caussam, à me potissimum*

tiſsimum fieri debere. Sane ut verum dicam, propriis quidem papulis mederi malim quam alienis: & minus moleſtiæ capiam cum hoſte Eccleſiæ conſligendo, quam ejus injuriis occurrendo, quem alioqui ut fratrem amem, & æſtimem ut virum eruditum. Sed tamen æquum fuit retundi à nobis gladium, quem Cenſor in virum incomparabilem ſtrinxit, eumque non de humanitatis ſtudiis ſolum, ſed & Rep. Eccleſiſque præclare admodum merentem: cui nunc ille proterve adeo inſultat, quaſi in controverſia hac in qua nihil niſi cucurbitas lippis, videat ſolus: tot clari Dei ſervi, atque alii non dignitate minus quam eruditione præſtabiles, qui præclare admodum de Grotii *libro ſentiunt, circumvolitent tanquam umbræ. Nec ſatis fuit Cenſori, ſi inſcitiam, qua ipſe laborat,* Grotio *exprobraret: etiam candidiſſimam animam malitiæ ſuſpectam facit: in quo ut fidem facilius inveniret, ad Græcanicas artes ſe convertit. Eas unde hauſerit, ſcire non laboro: ſed in mentem venit comparis ejus apud feſtiviſſimum* Horatium, *quo nemo vel venuſtate, vel induſtria majori mores hominum expreſsit: adeo ut quam laudem apud* Athenæum Theophraſto *tribuit æqualis ejus* Hermippus, *hanc inter* Latinos *ſuo ſibi jure vindicet poeta ille* Venuſinus. *Inter alios vero χαρακτῆρας habemus εἰκόνα hominis maligni, qui rogatus de Petillio, primum ejus comitatem, & quæ alia ſunt hujus farinæ prædicat: mox mirari ſe ait, judicio fuiſſe abſolutum, cum coronæ à Capitolio ſublatæ accuſaretur.*

---Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera: *inquit Poeta.*

Placuiſſe exemplum videtur Ravenſpergero. *Nam prius extollit ingenium admirandum, & multijugam eruditionem* Grotii: *quæ, eo etiam tacente, nemo ignorabat. Mox melleis verbis, non*

---Abſinthia terra medentum,

Vt poeta canit, ſed, uti terribiles novercas facere, ait Poeta alius, lurida miſcet aconita. Nam ea ſubjunxit,

quibus

quibus ſuſpicionem injiciat imperitis, quaſi vir ille non minus pietate & numinis reverentia quam ingenio & omnigena eruditione ſpectabilis, non quidem imprudens (quod ſi diceret, præceps judicium laudare non poſſemus, ferremus tamen, cum homo etiam Grotius *ſit, & errare poſsit) ſed vero, ut Cenſoris utar verbis,* ſciens Socino ſuppetias ferat, eumque imitetur, qui oſculo prodidit os veritatis: *qua cæca ſuſpicione, quod magis venenatum telum in* Grotium *jacere potuiſſet? aut quid de ipſo* Socino, *& quibuſque infeſtiſsimis Catholicæ fidei hoſtibus (quorum multi cum* Paulo *ex ignorantia Eccleſiam ſunt perſecuti) atrocius valuit ſuſpicari? Minus miraremur, ſi tenuiſsimæ ſuſpicioni* Grotius *dediſſet locum. Nunc quis non ſtupeat prorſus, hæc de illo concipere potuiſſe, qui in Illuſtrium* Hollandiæ *Ordinum Pietate aperte eſt profeſſus,* cum hæreſis ſit venenum Eccleſiæ, & quidem præſentiſsimum: ſed tamen hæreſeos aliqui ſint gradus, ut ſit hæc illa nocentior, pejorem aliam non reperiri hæreſi Socini, ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant. *Tamen hic aqua hæret cenſori, eoque ad Deum cordium ſcrutatorem provocandum ſcilicet putavit:* Socino, *inquit,* iterum iterumque ſuppetias fert: quod an conſulto ſcienſque faciat, judicet judex ille ſummus & tremendus, qui juſte judicat, & judicabit omnia. *Sane* Grotius *quoque Deo καρδιογνώστη atrocem hanc injuriam committit: cui hac parte innocentiam ſuam ſcit eſſe compertiſsimam. Inſcitiæ vero culpa utrum ipſum teneat an cenſorem: (nam malitiæ illum accuſare etſi forte poſsit, abſtinere tamen mavult) illis judicandum relinquit, qui argumentum intelligunt, & pravis affectibus non abripiuntur. Poſt illa profitetur* Ravenſpergerus, velle ſe totum illum à Dn. Grotio conſcriptum librum in calamo adhuc hærere ſcriptorio. *Quod votum illi commune eſt partim cum* Socini *amaſiis, qui magis quam ante periclitari cauſſam ſuam vident: partim cum iis, quibus*

ægre

ægre est tantam in quoquam Remp. capessente rerum sacrarum intelligentiam inveniri: partim ili, qui rebus suis sic expedire censent, si calumnia ista inveniat locum apud vulgus, quasi proceres illi, qui moderatione aliqua pia & necessariâ Ecclesiæ paci consulturos volunt, à Socini *dogmate non sint alieni. At eorum nos judicio accedimus. quos nec* Socini *amor abripit, nec alienæ eruditionis splendor flagrantes facit, nec infelicitas temporum, quam omnes precatis nostris promeruimus, ad detestati summæ maledicendum compellit. Sane quibuscunque is animus est, sive harum sive illarum partium fuerint, uno ore prædicant; pulcherrimum hunc summi viri fœtum maximo Ecclesiæ bono natum esse. Quem cum Censor ille negat, vel chartis concipi, vel conceptum in lucem edi, vel editum in lucem suscipi, vel susceptum in acta referri debuisse: quid mirum, si nunc conceptum, editum, susceptum, actis insertum, tam inclementer & inhumane censoriis suis virgis castiget, ut etiam cæco appareat, quæ fuerit illi votorum summa. Nempe quæ alia, quam, ut quia in manu ejus non erat, ut qui natus erat, hemerobiorum instar, denascereturquamprimum; saltem tanquam quarta luna natus ærumnabilem vivat vitam, lateraque inhonestis vibicibus à Censore suo injusta circumgestans, atque ab eodem in Ceritum tabulas relatus, non jam ad genitoris sui gloriam per ora hominum viveret, sed ad perennem contumeliam. At bene est, quod censuram hanc exercet sine suffragio eorum, qui illum ut ætate, ita rerum Theologicarum peritia longe antistant: quibus non suadentibus tantum, sed & impellentibus, non quidem librum hunc edidit Vir Amplissimus, sed ut ed retur permisit. Horum numerum inire animus non est. Sed tamen partim propter eos, qui autoritate magis, quam ratione ducuntur, partim etiam honoris caussa, aliquos eorum nominabimus, qui diatribam illam* Grotii, *cum curæ legerunt, ac præclarum de ea judicium tulerunt. Fecit hoc Vir Cl.* Iohannes Polyander. S. *Theologiæ in* Lugdunensi *hac Academia* Professor, *& nunc temporis Rector Magnificus: qui Amplissimo*

Viro

Viro librum ſuum de Satisfactione Chriſti remittens, reſcripſit in hunc modum:

Diſputationem tuam adverſus Socinum non minus aptis & homogeneis, quam eruditis & ſolidis argumentis, perſpicuiſque diverſarum vocum ac phraſium interpretationibus exornaſti: ex quibus, ſicut te legum, divinæ ſcilicet & humanæ, linguarumque peritum: ſic Socinum aut earum fuiſſe imperitum aut ſi eas intellexit, veritatem ſibi cognitam & adultam detinuiſſe, quilibet inſignes tuas obſervationes, abſque præjudico perlegēs, facile animadvertet. *Et mox:* Gaudeo quod hoſtilia arma adverſus Immanuelis hoſtem capitalem induxeris, atque opto, ut alii, veſtigiis tuis inſiſtentes, errores ipſius perniciosiſſimos ſimilibus ſcriptis refellant.

Fecerat idem præſtantiſſimus vir, Antonius Thyſius, *S. Theologiæ in Illuſtri* Hardervicena *Schola Profeſſor, qui eodem de libro judicium ſuum perſcripſit ad Ampliſſimum Virum* Fredericum Sandium. *Eſt vero iſtiuſmodi:*

Scriptum illud eruditiſſimi viri ſuper Redemptione & Satisfactione Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti in Socinianam blaſphemiam conſcriptum (quantum quidem ego judicare poſſum) varia eſt eruditione expolitū, Socinianas hypotheſes, iiſque firmandis adducta argumenta ſeu ſophiſmata ex linguæ Hebrææ, Græcæ, Latinæque proprietate, Sacræ Scripturæ teſtimoniis, Philologorum ſermocinationibus, ac Philoſophorum ratiocinationibus, atq; Iuris & Naturalis Gentiumq; & Civilis (quantum quidem humana cum divinis componere licet) collatione & conſenſu, eleganter & ſolide refutat.

Idem etiam factum ab eximiæ virtutis & eruditionis viro, Antonio Walæo, *fido Deo ſervo in Eccleſia* Middelburgenſi: *cujus hæc ſunt verba ad Ampliſſimum Virum:* Defenſionem, quam ad me miſiſti, non tantum diligenter, ſed etiam cum voluptate legi. Adeo & docte

&

& solide sententiam orthodoxam in ea affirmas, & contrariam infirmas. Deus animum illum tibi perpetuum servet, ut similia pietatis & doctrinæ monumenta nobis plura publicentur, quibus veritas salutaris ab hæreticorum malitia vindicetur. *Et aliquanto post*: Argumenta nostrorum à violentis Socini torsionibus egregie vindicas, & ea quæ à natura & autoritate humana petuntur, meo judicio satis plene refutas.

Tergeminum hoc Clarorum Theologorum judicium, eo addoxi, quia vel Censore judice, τῆς ὀρθοδοξίας sunt retinentissimi: cumque provinciis totis sint divisi, tamen sententiis inveniuntur concordes.

Huic τριάδι τετράδα adjungã, ut ita compleam τὴν ἑπτάδα, quam tanti fecere Pythagorici, *ut nunc σεπτάδα vocarint. tanquam numerum σεβᾶν ac veneratione dignum: nunc etiam* Ἀθηνᾶν: *ut ἑπτὰς ista præstantissimorum virorum vere nobis esse possit, quod proverbio dicitur τῆς Ἀθηνᾶς ψῆφος*, Minervæ calculus. *Commemorabo autem tales, qui (ne Censor de compacto rem agere caussetur, uti in velabro olearii solent) majori etiam locorum intervallo disjungantur, quam quos produxeram prius.*

Familiam horum ducat Reverendissimus, nostraque laude major Iohannes, *Episcopus* Coventriensis & Lichfeldensis: *cujus hæc verba sunt literis ad* H. Grotium: Cæterum quod ad tuos libros attinet, Clariss. D. magnum sane & Iurisperitum & Theologum & Politicum te præstitisti. Defensionem tuam fidei Catholicæ de Christi D. N. satisfactione adversum Socinum, non possum non plurimum probare & laudare.

Alter est Nobilis & Amplissimus Vir, Georgius Michael Lingelsheimius, *Electori* Palatino *à consiliis arcanis, cujus verba ipsa apponemus ex epistola ejus ad Ampl.* Grotium: Tertias tuas pr. Kal. 3. & 8. Sept. datas recte accepi, cum longe gratissimo munere Apologiæ tuæ de Satisfactione Christi, ad quas ideo tardius

dius respondeo, ut desiderio tuo satisfacere possem. Summa cum voluptate & fructu legi tractatum tuum, in quo admirabilem industriam in tuenda cœlesti veritate adhibuisti, & rectam rationem propugnandæ veritatis ostendisti. Omnia ex fundamentis sacræ Scripturæ, & rationibus ita demonstrasti, ut dubii nullus amplius locus relictus sit. Non tu hic pro more aliorum adversarium exagitasti, ut invidiam conciliares, aut in improbitatem adversarii invectus es: rem ipsam clare & perspicue exhibuisti, & demonstrationibus ita firmasti, ut veritas nuda pateat & fallaciæ omnes profligentur. Idem judicium est omnium, qui laudatissimam hanc tuam lucubrationem legerunt. cumque hactenus doctrinam tuam in bonis literis ac scientiis admiratus sim, jam etiam exactam peritiam tuam in sacris suspicio & exosculor. Det tibi Dominus vitam & vires, ut porro de Ecclesia & Rep. optime mereri possis.

Tertius est è vicina Geldria, *Amplissimus & doctissimus* Fredericus Sandius, *ὁ μακαρίτης, qui Clarissimi* Thysii *judicium, quod ante adscripsimus, in* Batavia *transmisit, suoque calculo approbavit. Eo vero libentius* Sandii *meminimus, quia Ill. Theologus,* Sibrandus Lubertus, *in scripto nupero, hoc eum elogio ornat, ut virum excellentem ac præstantem appellet, magnasque dignitates magna cum laude obisse testetur.*

Quartus esto Clarissimus Geverartus Elmenhorstius, *vir sine ambitione doctissimus, deque Patribus antiquis optime merens, quod inter alia ostendunt ejus* Arnobius *&* Gennadius, *& testatius facient* Zonaras *in Concilia,* Euthymius, *Concilium* Chalcedonense, *aliaque plurima, quæ ejus beneficio magno Ecclesiæ bono, propediem adspicient lucem. Is* Hamburgo *ad virum maximum inter alia hæc scribit*: Nemo hac ætate extitit qui tam dextre hanc partem tractaverit: quod vere, non oratorio dico.

Simile

Simile plane judicium tulerunt complures alii, atque hi partim in Batavia, *(ubi si numerare occipiam suffragiorum puncta,*

Ante diem clauso componat Vesper Olympo: *sed, ne quasi domesticos testes caußaretur, Censori hoc dandum putavi ut in ea præter unum nominarem neminem:) partim etiam extra* Bataviam *: neque isti homines vulgares, sed qui in inclytis* Germaniæ *ac* Belgicæ *Academiis vel Scholis illustribus, alii* S. Theologiam, *alii alias facultates & scientias magna hactenus cum laude profiteantur. Hæc etiam adducere in proclivi erat; cum sponte judicium suum in* Bataviam *perscripserint: sed non omnia sacra sua simul pandit* Eleusis. *Vel, ut apertius promam, quod jamdudum cogito, putidius sit istis diutius immorari, quando vera virtus alienis præconiis non eget. Et sane ea, quæ antea adduximus, commemoravimus prope inviti. Sed temporibus aliquid dandum fuit: quoniam quibus nunc vivimus, magis à quibus dicatur, quam quid dicatur, spectare homines solent.* Nobis vero φίλος Πλάτων, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια.

Sed porro Censoriæ præfationis verba persequamur. Scripseram præfatione, quam Amplissimi viri libro præmiseram, existimasse eum facturum se rem Christiano jurisconsulto non indignam, si ea, quæ à jure petuntur arma, Catholicæ fidei adversario extorqueret. *Ad hoc respondet Ravenspergerus*: Persuasum se esse, ita adversario satisfactionis arma illa ex jure petita extorqueri, ut reliqua ejusdem, ex scripturis præsertim desumta, non leviter firmentur. *In quo quantopere eum fallat opinio sua, responso, quod nunc damus, ostendere propositum fuit. Imo non tantum hanc accusationem ejus exarmabimus, sed etiam docebimus, cujus ille criminis Amplißimum Virum reum agit; hujus ipsum meliori jure peragi reum posse.*

Præfatione eadem etiam dißidentes Bataviæ fratres ad pacem & concordiam adhortatur Ravenspergerus: quod dum

dum facit, atrocibus quibusdam ſuſpicionibus, ut ego quidem cenſeo, mirum in modum indulget. Verum iſtæc iis examinanda relinquo quos ea res proprie tangit. Interim moderationem illam animi, qua ſchiſma diſſuadet, non poſſum non utroque, ut ajunt, pollice laudare. Siquidem unice hoc ſemper habui in votis, ut Eccleſiæ homines charitate potius quam odiis certent: nec tam ea conſilia ſectentur, per quæ cauſa adverſæ oppreſſionem, ſuæque certiorem victoriam ſperent: quam hoc agant, ut citra Catholicæ fidei jacturam, concordibus animis iterum coaleſcamus: quod faxit ille miſericors Deus in Chriſto cum Spiritu S.

Atque hæc ea ſunt, quæ præfari viſum fuit partim ut argumentum commentatiunculæ noſtræ exponerem: partim ut judicium refellerem, quod præfatione ſua de Grotii diatriba perperam tulerat Ravenſpergerus. Nunc ad ipſam ejus diſſertationem accedo: in cujus examine non verborum profluvium conſectabimur, ſed operam dabimus, ut ea ſolum dicamus, quibus illuſtretur doctrina de pleniſſima Chriſti ſatisfactione pro peccatis noſtris: & honos fideſque libri ejus vindicetur, qui nobile hoc beneficium Chriſti contra Catholicæ fidei adverſarium fortiter defendit.

GER. IOANNIDES VOSSIUS
Coll. Regens.

LE-

LECTORI.

QUis nescit perterritum latè mundum contremuisse, cùm primò Christum justitiæ solem salutares spargentem radios, Socianismi nimbus ab inferno exhalatus obtenebraret? Quid horribilius vel ab hominibus credi, vel ab ipso Dæmone excogitari poterat, quàm totam posteritatem in pristinas catenas conjicere, & redemptum orbem novæ captivitati prodidisse? En victos, (amice lector) hostes tuos, tuos inquam, & sæculorum omnium hostes infestissimos, qui vivificam ruinam æterni redemptoris, morboso mundo invidérunt: & medicinalem lacerati Dei sanguinem, quo enutritæ animæ nunquam morientur. En illos qui Deum quem crucifixum negant, negando crucifigunt: qui vulneratum spinis lilium, & sanguineo rore distillantem conculcarunt. parùm hoc, nili mortis Inferni victorem, propriis telis transfigerent, & temporale Dei *Verbum*, adversus æternum, armarent. Difficile quidem, Deum aliquando mortuum credere, quem semper vixisse, nulla unquam secula negarunt, at dixit Deus, quem periculosius est, mendacem, quam crucifixum confiteri, hoc enim mirum. Sed illud impossibile. O dogma cruentum, & homicidale, quod si obtineret,

Post obitum nemo, supremaque funera, felix;

Quanto

Quanto melius fuerat mortem Christi quam mortis vigorem denegâsse, quanto innocentius dixissent non periisse, quam frustra periisse? cujus sanguis, si frustra diffluxerit, frustra etiam nostræ lacrymæ: frustra bibimus vilem illius sanguinẽ, quem credidimus tantùm, mundi redemptorem. Quis nimium? imo vel satis meditetur felicissimum, morientis vitæ, prodigium? & furoris paterni telis, innocentissimi filii sulcatam animam? Quis nescit quid illi mereantur, qui Christum nihil meruisse contendunt? quis nescit cujus sit ille filius, qui Christum Dei filium esse negat? In quæ opinionum monstra quàm facile feruntur, qui veritatis amorem perdiderunt? Multi gloriosum putant, toti antiquitati bellum indicere, nec flocci pendunt, si hæretici, modò & docti, habeantur. Sperandum quidem erat cum Socino, ipsum etiam Socinianismum expirâsse, & diram hæresin in tanti patroni tumulo obdormivisse. sed ea Grotii modestia quâ patet illum, hæresin, non hæreticum odio habuisse, occasionem dedit, ut quibusdam imbellis, nec veritatis hostem satis furiose insecutus videretur. Hinc est quòd careat vindice: habes igitur in hoc posteriori tractatu, doctissimum Vossium, Grotii vindicem, in priori, Grotium Christi vindicem, utrumque Socini hostem, quem victrici furore insequentes toti humano generi invisum reddiderunt, nec immerito qui hominem trucidat, mortem meretur, quid ille qui Deum? qui redemptorem, qui Deum redemptorem? Mirentur nonnulli, cur antiquatam & semisepultam, æternisque tenebris dignissimam hæresin, in lucem revocemus: ignoscas (Lector) anguem hic habes, sed non latentem, sed capite contrito exspirantem, habes hic venenum, sed medicorum arte tam feliciter mixtum, & contemperatum, ut in saluberrimam miteſcat medicinam. Inculabunt alii, quod negligendi Sabbathi occasionem

nem præbeamus, quod ipſum etiam rebelles Schiſmaticorum catervæ, quieti Eccleſiæ, inimicum reddiderunt. Qui de Sabbatho ſcripſerunt, quietem momentaneam, hic liber æternam pollicetur. Chriſti amicus non eſt, qui non exultat, quoties hoſtem Chriſti proſtigatum intuetur. En Voſſium vobis militan em, ne venenata imbibentes dogmata, meritiſque v ſtris nimiùm tumeſcentes, in æternùm pereatis, hunc ergo librum conſulite, quem librum vitæ futurum cupimus, ſperamus, credimus, & faxit glorioſiſſima Dei & coæterna proles, cujus in illo cauſa agitur, ut omnes argumentis hinc depromptis confirmati, pro nobis, victiſti GALILÆE conclamemus.

Vale, liber enim ipſe jubet, & docet, te valere.

GERARDI JOHANNIS VOSSII

Reſponſio ad Judicium

HERMANNI RAVENSPERGERI,

de libro,

Ab HUGONE GROTIO V.CL. pro Catholica fide de Satisfactione Jeſu Chriſti ſcripto adverſus *Fauſtum Socinum.*

CAPUT I.

Reſpondetur Ravenſpergero, *cenſenti* TEKEL *poſſe inſcribi operi Grotiano, neganti item nodum ab eo quæſtionis attingi: ad hæc reprehendenti quod multa magnaque, & ea inter de Merito quæſtionem, omittat.*

PRodiit his diebus in lucem diſſertatiuncula Hermanni Ravenſpergeri, Theologi Groningenſis, quæ illuſtri titulo omnium in ſe oculos ſtatim convertit. Nam uti januæ antiquorum vel Apolline ornari ſolent, quem mytholigi ſolem interpretantur, vel Antheliis, quorum etiam in nomine ſol relucet: ita in libri ejus ingreſſu,

ſu, Clariſſimi & plane incomparabilis viri Hugonis Grotii nomen late radiorum ſuorum lumine reſplendebat. Sed non ſolum Ægyptiorum templa, verum iſte etiam illepidus novus libellus exemplo fuerit, quam multa extrinſecus pulcra appareant, quæ intus fœda inveniantur. Eo enim ſumma ope nititur Ravenſpergerus, ne exiſtimationem fidemque inviolatam relinquat luculentæ defenſioni, quam Ampliſſimus Grotius pro fide Catholica de Chriſti ſatisfactione, ſuſceperat adverſus Socinum. Nec diffiteri poſſum ſtatim ipſo opuſculi, quo nos beare ſcilicet placuit Cenſori, titulo perlecto, aliquid fuiſſe me ſuſpicatum. Verumtamen exſpectabam, ut Chriſtianæ charitatis doctor, nec verbo à viro ſummo laceſſitus unquam, ubi cum eo conſentire non poſſet, modeſte diſſentiret, quædam eum non vidiſſe, humanitus aliquid paſſum eſſe diceret. Sed nimium quantum ea me ſpes fefellit. Nam in præfatione ſua ad Hollandicarum Eccleſiarum presbyteros, cum prius magnifice Grotium laudaſſet, mox ambigit, utrum ut perditionis ille filius prodidit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ipſa eſt veritas: ita Grotius Catholicam veritatem de Chriſti ſatisfactione prodiderit Socino. Et in ipſo libelli veſtibulo affirmare iterum non erubeſcit, niſi præclaræ illæ ingenii dotes & multijuga eruditio obſtarent, *non peccaturum eum, qui tractatui ejus* adverſus Socinum *inſcriberet interpretamentum illud vocis* TEKEL, quod *eſt apud Danielem*: quaſi Grotius, qui adeo ſobrie, pie. religioſe, ac Theologorum quiſquam tractavit illum *ſacra Theologia* (ut cenſor ipſe appellat) *principem locum*; elogium hoc commeritus fuerit, quod rex Balthazar, cum ei ebrio & impuris manibus impie tractanti ſacra templi vaſa, *apparuerunt digiti, quaſi manus hominis, ſcribentis in pariete aulæ regiæ*, TEKEL: hoc eſt, ut propheta Daniel interpretatur, *appendit, appenſus fuiſti lancibus, & inventus es minore pondere.* Qua ipſa nocte, horrendo Dei judicio, Babylon capta, rex interemptus, & imperium ejus Dario, Medorum regi, & Cyro, Perſarum principi, traditum fuit. Hæc ejuſmodi animum ſpirent, me etiam tacente, omnes intelligunt. Quid ergo, num propterea Ravenſpergero ſuum TEKEL reponemus? num ſimili dolo & vere arte Pelaſga, dubitare nos fingemus, an non cenſor ipſe mereatur comparari cum Iuda Iſcariote? Minime vero. Aliud ſiqui inſuſurrare vultis, ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. Apage illam erga ſuos in Chriſto fratres Atticam hoſtilitatem.

Apage istam à piis omnibus, quibus aliquando factorum dictorumque omnium accurata coram Deo ratio reddenda erit, apage, inquam, istam male Christianam malum malo redhostiendi voluptatem. Nec profecto subsidiis istis causa hæc eget. Nam quod fortasse credat Censor, apud viros bonos & eruditos majoris fore judicium suum de summo viro, quam hujus de ipso: jure equidem metuo, ne ut Suffenum Catulli, aut Horatii Mævium, ita illum decipiat *Cæcus amor sui* Sed difficile profecto est ventos cuiquam de pulmone revellere; præsertim ea, qua nunc Censor est, ætate. Νίσῃδ' ἰδίναι πάντα ὅσοντιν, καὶ διεξοδεύοντι: ut verissime scripsit Aristoteles. Sed videamus, quid in scenam afferat, ut audaci isti, de Amplissimo viro, assertioni faciat fidem. *Primum*, inquit, *nodum, quod aiunt, varo & leviter attingit: tantum abest, ut scindat, aut resecet.* Sed nodumne tangat Grotius, an ipse potius controversiam totam egregius scilicet censor, ignoraverit; planum ex iis fiet, quæ ad singula deinceps respondebimus. Ecquid amplius? *Plurima* ait, *& longe præcipui, in hac satisfactionis doctrina, momenti præterit.* Quæ illa? Quæstionem de merito Christi intelligere, ex iis quæ subjungit, apparet. Sed de hoc jam dixeram præfatione ea, quam diatribæ Grotii præfixi. *Imo*, inquit ille, *non satis commode excusat autor præfationis, cum scribit, D. Hugonem Grotium, relicta aliis meriti quæstione, eam, quæ de satisfactione est, tractandam suscepisse.* Quamobrem vero incommode hoc dictum arbitratur? Ex iis, quæ subjungit, liquet, putare illum, me satisfactionem à merito disparâsse. At fallitur plane. Non enim divisi, sed distinxi. Hæc siquidem est sententia nostra, Christum obedientia sua utrumque præstitisse, ut non tantum à pœna debita liberaret, sed etiam præmium indebitum conferret. Vbi duplex Christi beneficium se ostendit. Prius est ablatio mali: quo liberamur per satisfactionem. Nam malum illud sunt debita nostra; quomodo etiam in scripturis peccata hominum appellantur. At satisfactio, ut ex relatorum natura constat, est pro debito satisfactio: non proprie, præmii adeptio. Alterum igitur, & distinctum Christi beneficium est, quod etiam acquisivit præmium vitæ æternæ. Atque hoc meritum vocamus proprie & stricte, ut satisfactione non includitur, sed ab eadem distinguitur. Nihil ergo clarius est, quam, etsi satisfactio & meritum sint indivisa, non tamen esse indistincta. Quid autem prohibet, quo minus

nus de iis, quæ distincta sunt, distincte etiam agatur? Atqui hoc solum volui, cum scriberem, de Satisfactione tractasse virum Amplissimum, de Merito, alteri agendum reliquisse. Mirabilis autem est Censoris argumentatio. *Si satisfactio & meritum disparantur, cur,* inquit, *hic agitur de reconciliatione & redemptione?* Ipse in iis, quæ addit, objectionem non firmat, sed solvit. *Satisfaciendo,* inquit, *hoc est pœnas pro peccatis nostris solvendo, & mortem perferendo, reconciliationem nostri cum Deo & redemptionem nobis acquisivit.* Quid enim hinc aliud sequitur, quam satisfactionem, etiam citra meritum, tractanti, non omittendam fuisse reconciliationis & redemptionis quæstionem? Nec quicquid aliquis acquirit ac parit, hoc est meritum proprie dictum, quando per fidem acquirimus salutem, & plerique Ecclesiæ nostræ doctores existimant, Christum per obedientiam vere acquisivisse summam dignitatem ac gloriam: promeritum vero non esse. Vt aliquid pro instituto afferret, dicere debuerat Censor, redemptione & reconciliatione meritum vitæ æternæ contineri. Quod etiamsi daretur, non tamen evinceret, satisfactionem seorsum à merito explicanti, reconciliationis & redemptionis omittendam fuisse quæstionem, cum ad satisfactionem illa ipsa pertinere negari non possit. Proprie autem directeque vocibus iis, præsertim si scripturarum loca pensiculatius considerentur, satisfactionem magis pro pœna, quam adeptionem præmii denotari, satis ea ostendunt, quæ Amplissimus Vir septimo & octavo libri sui capite disputavit.

CAP. II.

De asterisco & obelo agitur adversus Censorem qui ἀντιδιῃρημένας istas Censorum notas confundit.

POstquam reprehendit Ravenspergerus, quod aliqua Grotius omisit: ea se aggredi velle ait quæ commisit, & asterisco digna sunt. O nove Aristarche,

----ποιόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Sic censuram exercere vis ut iis, quæ Grotius dixit, apponas notam, quasi non dixerit? Aut etiam, quæ male, judicio tuo dixerit, notare vis, quasi laudabiliter dixerit? Sane hoc dicis. Nam cum eum reprehendisses, quod quædam præteriisset, & negasses hoc commode à me excusari, subjungis ista: *Sed valeat excusatio præteritorum: nunc commissa quædam Dn. Grotii, quæ asterisco digna videntur, annotabimus.* At

præterita asterisco notantur: vel dicta quidem, sed laudabiliter dicta. Audi doctissimum Thessalonicensium episcopum P. 599 *edit. Rom.* εἰς τὴν Η ῥαψῳδίαν τῆς Ἰλιαδ. Τεθέασιν ἐνταῦθα οἱ παλαιοὶ, ἀστερίσκον, ὃς ἐστὶν ἀστέρος σημεῖον σχιαστὸν, ἔχων ἐν τῇ τέσσαρσι γωνίαις στιγμὰς, καὶ τίθηται ἐπὶ τῶν ἄριστα ἐχόντων ἐπῶν, καὶ ἀστεροειδῶς λαμπόντων ὡς ἐν καλῷ τόπῳ κειμένων. Simili[illegible] P. 1627. εἰς τὴν Ι. ῥαψῳ, τῆς Οδυσσ. Δηλοῖ τὸ σημεῖον ὁ ἀστερίσκος, ὡς ἄριστα ἐν τῷ τόπῳ κειμένου τὸ ἔπος, καὶ ἐπῃ ἐκλάμπει. Aperte ait, iis, quæ egregie & suo loco dicerentur, asterisci sive stellulæ notam solere apponi, quod instar stellæ relucerent. Sed etiam præteritorum, eoque addendorum, signum erat. Hieronymus præfat. in Paralipomena. *Origenes in editione Septuaginta, Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minus fuerant, virgulis, quæ ex superfluo fuerant apposita.* Cur vero vel omissis, asteriscus: vel male additis, obelus sive virgula soleat apponi; docet idem Hieronymus ad Suniam & Fretelam: " Ubi quid minus " habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de tran- " slatione Theodotionis addidit, & signum posuit aste- " riscum, id est stellam, quæ quod prius absconditum vi- " debatur, illuminet & in medium proferat. Ubi autem, " quod in Hebræo non est, in Græcis codicibus invenitur, " ὀβελὸν, id est, jacentem præposuit virgulam, quam nos " Latine Veru possumus dicere: quo ostenditur, jug[illegible] " dum esse, & confodiendum, quod in authenticis libris " non invenitur: quæ signa & in Græcorum Latinorum- " que poematibus inveniuntur. Augustinus similiter aste- risci & obeli notam distinguit lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XLI: " Addiderunt, quæ in Hebræis inventa, apud LXX non " erant, eaque signis quibusdam in stellarum modum fa- " ctis ad capita eorundem versuum notaverunt, quæ signa, " asteriscos vocant. Illa vero, quæ non habent Hebræi, ha- " bent autem LXX, similiter ad capita versuum, jacentibus " virgulis, sicut scribuntur unciæ, signaverunt. Et multi " codices Græci, has notas habentes, usquequaque diffusi " sunt, & Latini. Isidorus Origin. lib. I. cap XIX. Asteriscus " apponitur in iis, quæ omissa sunt, ut illucescant per eam " notam, quæ deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ Græco ser- " mone dicitur, à quo Asteriscus, stellula, est derivatus. " Obelus, id est virgula jacens, apponitur in verbis, vel " sententiis, superflue iteratis: sive in iis locis, ubi lectio " aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet super- " vacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Græce ὀβελὸς

di-

"dicitur. Et ante hos omnes idem scripserat Epiphanius lib. περὶ μετρῶν καὶ σταθμῶν: Ὁ ἀστερίσκος σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κεῖσθαι καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ καὶ Σύμμαχῳ, σπανίως δὲ, καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι· οἱ δὲ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ παρῆκαν, καὶ οὐχ ἡρμήνευσαν. Et mox: Ὠριγένης ἀποκατέστησε τῷ ἑκάστῳ τόπῳ τὴν ἐλλείποντα λόγον, παρέθετο δὲ αὐτῷ τὴν ἀστερίσκον. Et post aliqua: Ὀβελὸς κέκληται τὸ Ἀττικὴν χρῆσιν, ἄλλοις δὲ καλεῖται δόρυ, ὅ ἐστι λόγχη. παρετέθη δὲ ταῖς τῆς θείας γραφῆς λέξεσιν, ταῖς παρὰ τοῖς ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταῖς κειμέναις, παρὰ δὲ τοῖς περὶ Ἀκύλαν καὶ Σύμμαχον μὴ ἐκφερομέναις. Ἀφ' ἑαυτῶν γὰρ οἱ ἑβδομηκονταδύο ἑρμηνευταὶ ταύτας τὰς λέξεις προσέθηκαν. Hæc fusius sumus prosecuti, partim quia facem allucent plurimis cum aliorum, tum Ecclesiasticorum scriptorum locis: partim quia visum necessarium habent in præclara illa editione Iosuæ, quam cum asteriscis, obeliscis, lemniscis, Origenis exemplo, repræsentavit doctissimus & diligentissimus Andreas Masius. Mirum vero, Ravenspergerum, qui κρίσιν & censuram alieni operis profitetur, & quid asterisco vel obelo dignum sit pronunciare ausit: ne quidem, quid asteriscus notet, scivisse: cum eo veteres Critici ac censores, non perperam dicta, ut hic Censor credidit, sed vel addenda, vel laudabiliter dicta significarint. Sed quid mirum, si in notis erret, qui ubique judicio peccat in rebus ipsis: ac dicta pro indictis, indicta pro dictis habet, optimeque dicta tanquam male aut periculose dicta traducit? Quod ut verissime à nobis dici, omnes videant: Prius, quæ Socinianorum de Satisfactione fuerit sententia, ipsorum verbis ostendemus: deinde à Censore statum ipsum quæstionis minime fuisse intellectum, comprobavimus.

CAP. III.

Socinianorum de Christi satisfactione doctrina, ipsorum verbis explicatur, & cum ea, Petri Abaillardi sententia confertur.

VErba sunt Socini, disputationis de Christo Servat. part. 1. cap. 1. *Ego censeo, Jesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quia salutis æterna viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona, cum vita exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit. Divina autem justitia, per quam peccatores damnari mereremur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse affirmo.* Atque hæc summa eorum est, quæ quatuor

de Servatore libris, probare conatur Socinus. Similiter ſummam eorum, quæ in prælectionibus Theologicis fuſe tractat, complectitur his verbis cap. xv. ejus operis: "Quærimus, utrum in juſtificatione noſtra, per Chriſtum "peccata noſtra compenſatione ſeu ſatisfactione aliqua "deleantur, an vero remiſſione & condonatione? Plerique "ſatisfactione interveniente id fieri arbitrantur: nos vero "ſimplici condonatione. Nam quod ſatisfactionem cum "remiſſione ea in re conjunctam fuiſſe aſſerunt, plane nu- "gatorium eſt. Cur vero paſſioni ac morti Chriſti liberationem noſtri à peccatis tribuat ſcriptura: hanc adfert cauſam prælectionum Theolog. c. xix: "A peccato liberamur, id "eſt ſectatores bonorum operum efficimur, ſi Chriſti ver- "bis fidem adhibeamus, qui nos pœnitentiam agere juſſit, "& novos homines fieri, cœleſtis hæreditatis præmio pro- "poſito. Atqui Chriſti reſurrectio potiſſima cauſa eſt, cur "ejus verbis fidem adhibeamus: ad reſurrectionem vero "non niſi per mortem pervenire is poterat: & ſimul ejus "in cœlis gloria atque potentia, ad quam, ita Deo ſta- "tuente, per violentam mortem eum perduci neceſſe "erat.

Similiter ſenſit Socini diſcipulus, Valentinus Smalcius, lib. de divinitate Chriſti cap. xi. "Salus æterna ut nobis "ANNUNCIARETUR & CONFIRMARETUR, ideo "D. Jeſus in mundum miſſus fuit. At his peractis duo reſta- "bant. Primum, ut nos ſalutem illam amplecteremur, hoc "eſt crederemus ita rem ſe habere, quemadmodum Chri- "ſtus promiſerat. Alterum, ut eandem ſalutem tandem re "ipſa conſequeremur, hoc eſt ex morte reſuſcitati ad æ- "ternam vitam transferremur. Hæc duo ut effici poſſent, "ideo Chriſtus mori non dubitavit: & ſic vere noſtri cau- "ſa mortuus eſt. Siquidem, morte ejus interveniente, ſa- "lutem æternam amplectendi, & tandem eam conſequen- "di ſpem certam habemus, vel ſaltem habere poſſumus. "Quis enim rem deſiderabiliſſimam, qualis eſt vita æterna, "ſi certa ſit, non libenter amplecteretur? At quis modus "confirmationis certior eſſe poteſt, quam ſi is, qui primus "eam annunciârat, & aliis eâ antea rationibus demonſtrâ- "rat, mortem etiam truculentiſſimam ſponte ſua in hunc "ipſum finem ſubeat, ut eandem confirmet? Magis etiam "movent oſtenſa, quam promiſſa. At ipſa ſalus oſtenſa "eſt quodammodo hominibus, dum Chriſtus ex morte "reſuſcitatus, & deinde exaltatus fuit. Quia vero ſalus hæc

noſtra,

" noſtra, hoc eſt reſurrectio, oſtendi non poterat, niſi mors
" antevertiſſet, ideo ut nobis ea oſtendi aliquo modo poſ-
" ſet, ſponte ſua Chriſtus mortuus eſt. Ad ſalutem vero re
" ipſa conſequendam, maxime opus eſt ut ipſe D. Jeſus po-
" teſtatem habeat nobis eam donandi. Facilius enim homo
" mortalis credit datum ſibi iri vitam æternam, ſi Jeſus
" Chriſtus, qui & ipſe olim mortalis, & mortuus, & dux
" fidei fuit, poteſtatem habeat eam dandi, quam ſi ipſe
" Deus eam daturus ſit. Hanc igitur ſpem conſequendi ſa-
" lutē æternam ut habere poſſimus, ideo Chriſtus mortuus
" eſt, & ſic veriſſime pro nobis, & noſtri cauſa mortuus eſt.
" Hic vero notandum eſt, quod in tota hac re maximi mo-
" menti eſt: nempe per quandam metonymiam tribui id
" ſæpiſſime cauſæ efficienti & antecedenti rei, quod effecto
" ſive conſequenti rei tribuendum erat: hoc eſt, morti D.
" Ieſu tribui id, quod eam conſecutæ reſurrectioni & om-
" nium maxime poteſtati ejus divinæ tribuendum erat.
" Quamvis enim ipſa etiam mors vim habeat eamque non
" vulgarem, in nobis excitandi cupiditatem & deſiderium
" ſalutis, & ſpem conſequendi illam: tamen multo plus
" hac in re valet ipſa Ieſu Chriſti reſurrectio, vel ſumma e-
" jus potentia, quam ipſa mors. Nam ad Hebr. IX. videre eſt
" liberationem à peccatis contigiſſe hominibus, non per
" ipſam quidem Chriſti mortem (hæc enim nobis ſpem
" omnem iſtius felicitatis eripere potius potuiſſet) ſed, ut
" ipſe autor ait, morte interveniente per ejuſdem reſurre-
" ctionem & exaltationem, vel divinam poteſtatem, quæ
" mortem conſecuta eſt. Apertiſſime igitur conſtat, poſt-
" quam mortuus fuit Chriſtus, factum eſſe id, unde libera-
" tio à metu mortis promanare perpetuo poterat omnibus
" credentibus: nempe Chriſti reſurrectio & divina poteſtas
" conſecuta eſt: quod utrumque plane ab omni metu mor-
" tis liberare poteſt eos, quicunque Deo per Ieſum Chri-
" ſtum confidunt & eidem obediunt. Atque ita certum eſt,
" Chriſti morti id tribui in negotio ſalutis noſtræ, quod re-
" ſurrectioni, & divinæ Chriſti potentiæ, quæ mortem ejus
" conſecuta ſunt tribuendum erat. Hactenus Smalcius.

Catecheſis Polonica Loco de prophetico Ieſu Chriſti munere cap. VIII. P. 128.

" Qui ſanguis aut mors Chriſti nobis voluntatem Dei
" confirmavit?

" Duplici ratione, primum, quod nos manifeſte de in-
" genti in nos charitate certos reddiderit, idque adeo, quod

" Deus velit nobis id donare, quod in novo fœdere pro-
" mittat: unde etiam ſanguis novi fœderis eſt dictus, qui
" præſtantiora loquatur, quam ſanguis Abel: & ipſe Chri-
" ſtus teſtis verax, & fidelis dictus eſt: deinde quod reſurre-
" ctione Chriſti, quæ non niſi morte ipſius interveniente
" fieri potuit, de reſurrectione noſtra & porro vita æterna
" conſequenda certiores facti ſumus, ſi præceptis Domini
" Ieſu pareamus.

" Nonne eſt etiam aliqua alia mortis Chriſti cauſa? P 227.

NULLA PRORSUS. " Etſi nunc vulgo Chriſtiani
" ſentiunt, Chriſtum morte ſua nobis ſalutem meruiſſe,
" & pro peccatis noſtris plenarie ſatisfeciſſe; quæ ſententia
" fallax eſt, & erronea, & admodum perniciosa.

Hæc ſatis oſtendunt, varios à Socinianis modos agnoſci, quibus nos ſervet Chriſtus: at modus ſatisfactionis per ſolutionem pœnarum, qui familiam ducit, eos penitus diffiteri. Nempe exiſtimant, remitti nobis peccata, nulla interveniente ſatisfactione aut pœna: imo non contenti negare ſatisfactionem vel neceſſariam fuiſſe, vel à Deo poſtulatam: contendunt eam eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Atque in hoc argumento, quod unum eſt ex quatuor iſtis, quibus imprimis ſatisfactionem impugnant, multum præſidii collocant. Ipſum vero triplici fulciunt tibicine: primum, quia injuſtum ſit, ut unus pro altero corporales pœnas luat: deinde, quia peccato mereamur pœnas æternas: at qui caput futurus erat Eccleſiæ ſuæ, æternum puniri non potuerit: ac denique, quia & præcepto legis, & decreto divinæ voluntatis adverſetur, ut alius anima moriatur, quam qui peccavit, Deuter XXIV. 16. Ezech. XVIII. 20. Hæc ita eſſe, iterum Socini verbis oſtendemus. Sic igitur ille Prælectionum Theolog. cap. XV. QUÆRIMUS, " utrum in ju-
" ſtificatione noſtra per Chriſtum, peccata noſtra compen-
" ſatione ſeu ſatisfactione aliqua deleantur, an vero re-
" miſſione & condonatione? Plerique ſatisfactione inter-
" veniente id fieri arbitrantur: nos vero ſimplici condona-
" tione. Nam quod ſatisfactionem cum remiſſione ea in re conjunctam fuiſſe aſſerunt, plane nugatorium eſt.

RATIONES, " cur ita ſtatuamus, quatuor ſunt. UNA
" eſt, quod nuſquam in ſacris literis iſtius ſatisfactionis fit
" mentio, nec alterius rei cujuſquam, quæ tantundem va-
" leat. ALTERA, quod compluribus in locis aperte te-
" ſtantur ſacræ literæ, nullam in juſtificatione noſtra per

Chri-

" Christum, satisfactionem interveniſſe. TERTIA, quia " satisfactio iſta Dei gloriam maxime obſcurat, & Chriſti " poteſtatem labefactat. QUARTA vero, & ultima, quia " fieri nullo modo poteſt, ut, ſalvis nobis, pro peccatis no- " ſtris Deo ſatisfactum fuerit, ne per ipſum Chriſtum qui- " dem.

De quarta vero ratione, ſcribit in hunc modum cap. XVIII " NON POTUIT per pœnarum ſolutionem pro " peccatis noſtris ſatisfieri, DUPLICI potiſſimum DE " CAUSA: quarum UNA hæc eſt: quod pœna noſtris " peccatis debita mors æterna erat; mors autem æterna " corporalis pœna eſt. At corporales pœnas nemo pro alte- " ro pendere poteſt. Pecuniariæ pœnæ ideo pro altero pendi " poſſunt, quia unius pecunia alterius effici poteſt: &, cum " quis pecuniam pœnæ nomine pro alio quopiam ſolvit, " tunc is, pro quo ſolvitur, tacite reipſa prius ea pecunia " donatur, ipſeque eam ſolviſſe cenſetur. At mors unius, " corporiſve ulla vexatio, alterius fieri non poteſt. ALTE- " RA CAUSA eſt, quod cum unuſquiſque noſtrum pro- " pter peccata ſua æternam mortem deberet, (ſic enim, ut " rem diligentius explicemus, loquendum nobis eſt) unus " autem quiſpiam non niſi unam æternam mortem ſolve- " re poſſit, neceſſe fuiſſet totidem invenire, qui æternam " mortem ſubirent, quot nos ſumus; qui ipſi ſcilicet nihil " peccaſſent, neque ei pœnæ pro ſe ipſis ſolvendæ obſtricti " eſſent. ADDE QUOD, etiamſi maxime fieri potuiſſet, " ut alterius ſive unius, ſive plurium innocentium æterna " morte pro nobis noſtriſque peccatis Deo ſatisfieret; id " tamen ut fiat, nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, " quam inſontem pro ſontibus PUNIRI, præſertim cum " ipſi ſontes adſunt, qui ipſi puniri poſſunt? Quod ſi ex " Dei ipſius ſententia atque decreto, nec filius ipſe propter " patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri de- " bet: quomodo tandem fieri poteſt, ut ipſe Deus PŒ- " NAS peccatorum noſtrorum ab alio ullo repoſcere volu- " erit? Atque hoc pro Tertia cauſa eſſe poteſt, cur pro pec- " catis noſtris, ſalvis nobis Deo ſatisfieri non potuerit. Propter hæc non dubitat Socinus, dogma de ſatisfactione Chriſti vocare frigidum, falſum, abſurdum, fœde ſummeque injuſtum & horribiliter blaſphemum. Sic enim ſcribit libro III. de Servatore, cap. x. " Vides igitur præter cætera " iniqua & abſurda; in quam horribilem blaſphemiam in- " ciderit, dum Chriſto peccata noſtra imputari potuiſſe

" contendis? Paulo post ista subjungit: Iam quid tibi tandem de tuo illo axiomate videtur: Nemo moritur, nisi pro " peccatis aut suis, aut alienis: sive priorem ejus, quam nos " fecimus, sive posteriorem partem spectes; præsertim, si " ad Christi personam accommodari debeat? Potuitne ali- " quid alicui in mentem venire, quod vel magis falsum, vel " magis absurdum, atque adeo impium sit? Num aliud, " aut insulsius, aut frigidius, quod attinet ad quæstionem " nostram, excogitari potuit? Uter tandem nostrum im- " prudens Deo fœdissimam injustitiæ notam inurere ten- " tat? An ego, qui Christum à Deo, ut ea ratione nobis æ- " terna salus compararetur, turpissimæ & sævissimæ mor- " ti traditum fuisse affirmo, QUAMVIS NULLA PRÆ- " TEREA ANTECEDENS CAUSA ESSET: an po- " tius tu, qui ideo Christum ex Dei decreto, morti tradi- " tum fuisse ais, quia illi peccata nostra universa imputata " fuerint: quod sine summa injustitia fieri nullo modo po- " tuit.

Atque hæc (quibus omnibus solide respondet Amplissimus Grotius in Defensione Catholici dogmatis) ex Socinianorum scriptis in eorum gratiam excerpsimus, quibus ea legendi hactenus vel otium aut occasio defuit, vel voluntas. Porro (ut hoc ἐν παρόδῳ addamus) eadem, saltem in præcipuo capite, ante annos quingentos sententia erat Petri Abaillardi. Siquidem Abaillardus ille (ut testatur Bernardus Clarævallensis epist. CXC. ad Innocentium Papam) primus docuit, non alio fine apparuisse Christum in carne, aut mortem subiisse, quam ad institutionem nostri per verbum, & testationem charitatis suæ per mortem: mysterium vero incarnationis, quod post Apostolos ab omnibus doctoribus creditum esse fatebatur, partim eo impugnabat, quod nulla opus fuerit satisfactione, quia sola verbi prædicatione potuerit Deus instaurare genus humanum: partim quod crudele & iniquum sit, ut per cruentam & ignominiosam mortem ejus, qui innocens & ipsius Dei filius sit, pro alienis peccatis Deo satisfiat.

Abaillardi verba erant: " Sciendum est, quod OMNES " DOCTORES NOSTRI POST APOSTOLOS IN " HOC CONVENIUNT: quod diabolus dominium " & potestatem habebat super hominem & jure eum possi- " debat: ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrii, " quam habebat, sponte diabolo consensit. Ajunt nam- " que, quod si quis aliquem vicerit, victus, jure, victoris ser-

vus

" vus constituitur. Ideo, inquit, sicut dicunt doctores, hac " necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo, qui aliter " liberari non poterat, per mortem innocentis jure libera- " retur à jugo diaboli. Sed UT NOBIS VIDETUR ait, " nec diabolus unquam jus aliquod in hominem habuit, " nisi forte Deo permittente ut carceratius; nec Filius Dei, " ut hominem liberaret, carnem assumsit. Aliquanto post, sic de Abaillardo scribit Bernardus: " TOTUM, quod Do- " minus gloriæ semetipsum exinanivit, quod minoratus " est ab Angelis, quod natus de fœmina, quod conversatus " in mundo, quod expertus infirma, quod passus indigna, " quod demum per mortem crucis in sua reversus; ad id so- " lum putat & disputat redigendum, ut traderet homini- " bus formam vitæ, vivendo & docendo; patiendo autem " & moriendo charitatis metam præfigeret. Et post ali- " quam multa: Dicit, TOTUM esse, quod Deus in carne " apparuit, nostram de verbo & exemplo ipsius institutio- " nem, sive (ut postmodum dixit) institutionem: TO- " TUM, quod passus & mortuus est, suæ ergo nos charitatis " ostensionem, vel commendationem Ut vero satisfactione liberaremur, necessarium fuisse negat Abaillardus, his ver- bis: " Sine injuria diaboli, jure Deus perfugam suum, si " vellet, misereri, repetere, & solo verbo eripere posset. " Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, " cum sola jussione sua divina misericordia liberare homi- " nem à peccato posset; propter redemptionem nostram, fi- " lium Dei, carne susceptà, tot & rantas inedias, opprobria, " flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam " & asperrimam mortem sustinere, ut cum iniquis pa- " tibulum sustineret? Idem Abaillardus: Cur per san- " guinem, quod potuit facere per sermonem? Nec contentus erat dicere, modum satisfactionis non fuisse necessarium, sed (uti postea Socinus) ajebat esse impossibilem, utpote naturæ Dei repugnantem. Verba Abaillardi sunt: " Cui non crudele & ini- " quum videtur, ut sanguinem innocentis in pretium " ALIQUOD quis requisierit, aut ullo modo ei placue- " rit, innocentem interfici? nedum Deus tam acceptam " filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconcilia- " tus sit mundo.

Mirari vero subit, quod Abaillardus dicat, DOCTO- RES NOSTROS POST APOSTOLOS *alios omnes docuisse*; uti ex verbis apparet, quæ primo loco

loco citabamus. Nam annis circiter ſeptingentis ante Abaillardum idem docuiſſe videtur Pelagius: ut qui & ipſe gratiam Chriſti ſtatuere ſoleat in doctrina & exemplo Chriſti: quemadmodum ſexcenta Auguſtini loca evincunt. Unde etiam Ioh. Driedo Pelagium Abaillardi præcurſorem facit initio lib. de captivitate & redemptione generis humani: "Fuerunt, *inquit*, jam olim Pelagiani hæretici, "qui injuriam facientes divinæ gratiæ, docuerunt Chri"ſtum non liberaſſe genus humanum ab ulla captivitate, "non ab ullo carcere, aut vinculis, non ab ulla ſervitute; "ſed eundem ſolum in hoc veniſſe, ut demonſtraret nobis "viam ſalutis, & vitæ æternæ traderet documenta præbe"retque ſalutaris vitæ exempla, doceretque nos evange"lium vitæ æternæ, & voluntatem patris ſui, ſe ipſum pro"ponens nobis in humilitatis & patientiæ exemplum, "quod ſpectemus, quod imitemur, in quo & eruditamur, "ut caveamus elationem atque ſuperbiam. Paulo poſt vero "ſubjungit: Uſque adeo hæc pernicioſa peſtis ſua conta"gione Eccleſiam Chriſtianam tempore Auguſtini infece"rat, ut ad tempora uſque Bernardi, remanſerint hujus "peſtis reliquiæ: quod manifeſtum eſt ex his, quæ vir ille "ſanctus ſcribit adverſus Petrum Abaillardum.

CAP. IV.

Refellitur cenſoris opinio, exiſtimantis à Socinianis agnoſci, Chriſtum pro nobis pœnas pependiſſe.

EX iſtis, quæ Sociniana, atque adeo etiam Abaillardi ac Pelagii fuerit ſententia, omnes intelligunt. Nunc videamus, quantopere claro meridie cæcutiat Ravenſpergerus. *Socinus*, inquit, *non negat Chriſtum pœnas pependiſſe, eamque penſionem eo quodammodo prodeſſe, ut nos à pœna mortis æternæ liberaremur.* Et mox: *Nullus Sociuianorum negabit, Deum conſtituiſſe, ut Chriſtus pœnas penderet pro peccatis noſtris.* Niſi oculis noſtris crederemus, eccui, prope jurato teſti, tantum fidei haberemus, ut hæc à Ravenſpergero eſſe ſcripta, perſuadeat nobis? Nam quid ex iis, quæ diximus, apertius eſt, quam à Socinianis negari, Chriſtum quicquam pro nobis eſſe perpeſſum, quod pœnæ rationem haberet? Siquidem paſſionis ac mortis Chriſti cauſam fuiſſe ajunt, ut nos ejus verbis crederemus: alias cauſas prætereunt: imo alias fuiſſe diſertim negant. Etiam dicunt, poſſe quidem unum pro altero ſolvere multam pecuniariam; ſed quemquam

quam pro altero corporales pœnas subire posse, hoc vero fateri nolunt: & quamobrem nolint, hanc afferunt causam, quia contra quam in pecuniis sit, unius corporale supplicium alterius fieri non possit. Vnde, ut Christus insons in corpore puniatur pro sontibus, divinæ ajunt justitiæ repugnare. Et quam aperte omnem pœnam tollit Socinus, part. II. de Servat. cap. VII, ubi ait, NUNQUAM *Deus alienæ peccata in* QUOQUAM VERE PUNIT, *qui culpâ affinis non sit.* Etiam ejusdem partis cap. IV, ferre peccatum sæpe idem valere agnoscit, quod pœnam subire, sed in Christo interpretationem hanc rejecit, aliamque subjecit de ablatione peccatorum. Idem passim negat ullum verum pretium, aut quicquam, quod vero pretio respondeat, intervenisse. Ut cum ejusdem partis cap. I. disertim ait: "redemptionem nostram per Christum factam esse metaphoricam, id est, in ea peragenda NULLUM verum pretium interveniisse, sive NIHIL cuiquam pro nobis solutum esse. Et in capite ipso. Nihil aliud est redimere, quam liberare, aut sibi asserere, quamvis veri pretii vera solutio ALI QUA non interveniat. Item: Quemadmodum Moses, Deo ita jubente, Israelis populum potentia & authoritate sibi ab eo tradita, non autem alicujus pretii solutione ex servitute redemit, & ipsi Deo asseruit: sic Christus suprema potentia & auctoritate sibi à Deo concessa nos ex peccati & mortis servitute, Deo ita jubente, NULLO vero pretio cuiquam soluto redemit, & ipsi Deo asseruit, ac postmodum in cœli possessionem nobis promissam ipse introducet. Et post aliqua: Cum legis nos ab iniquitatibus nostris & ex nostra vana conversatione fuisse redemptos: qui fit ut non videas aperte, verbum redimendi usitatissima & frequentissima metaphora liberationem simpliciter significare, sine ULLA veri pretii solutione? Alioqui nonne ipsis iniquitatibus, nonne ipsi vanæ conversationi, de quarũ manibus redempti dicimur: vel saltem alicui, qui nos in ipsis detineret, pretium resolvere oportuisset? quo quid ineptius dici, vel excogitari potest? Per lege omnes locos novi fœderis, in quibus redemptionis fiat mentio: & nullum invenies, ubi de VERI ALICUJUS PRETII SOLUTIONE, seu de SATISFACTIONE ALIQUA evidenter agatur. Sed in omnibus (de iis loquor, de quibus inter nos potest esse controversia) manifeste deprehendes, de simplici liberatione seu assertione verba fieri. Et eodẽ:

Tunc

" Tunc demum rite redimendi metaphora procedit, & ab-
" solute suis partibus constat, cum in simplici liberatione
" ALIQUID intervenit, quod per translationem ALI-
" QUO PACTO pretio respondeat. Similia eodem capite
alia quoque compluria habet, quæ sciens omitto. Præterea
quid planius dici potuit, quam cum negat idem, aliquid in-
tervenisse, quod Deum placaverit? Ita enim scribit ejusdem
libri cap. XXVI. " Non solum satisfaciendi verbum, cum de
" salute nobis per Christum parta agitur in sanctis scriptu-
" ris, ut ipse fateris, nusquam apparet: sed NIHIL E-
" IUSMODI, ne semel quidem, expresse in eis scriptum
" reperitur. Quale esset, quod Christus morte sua nobis
" Deum reconciliâsset; vel quod pœnas universas nostris
" iniquitatibus debitas moriendo divinæ justitiæ persol-
" visset: vel quod nos è manibus justitiæ divinæ sanguinem
" suum redemptionis nostræ pretium ille dans liberâsset:
" vel quod scelera nostra obedientia sua compensasset: vel
" quod, ut remissionem peccatorum Deus largiretur, digne
" commeritus est, vel denique saltem, quod ALIQUA
" RATIONE Dei iram nobis placâsset. Idem sive alius, in
συνόψει de justificatione, edita sub nomine Gratiani Tur-
pionis Gerapolensis: " Expurgare nostra peccata & nos à
" peccatis nostris redimere dicitur Christi sanguis, quia ut
" nos à peccato cessemus, efficit. Quod profecto longe aliud
" est, quam pœnas nostris peccatis debitas eo persolutas
" fuisse, nec cum ea re QUICQUAM commune habet.

Quis ex iis omnibus non videt, juxta Socinum, in libe-
ratione nostri, nullam satisfactionem, nullam pœnam ve-
ram, nullum verum pretium, aut quod vero pretio respon-
deat, intervenisse: nec perpessiones Christi quicquam cum
istis habere commune? Quanta igitur in Charybdi labo-
randum erit Censori, ut doceat nos, passionem & mortem,
ex Socini sententia, habere rationem veri supplicii! Et ta-
men ait, *Socinus non negat Christum pœnas pependisse.* Nec ec
contentus, *Nullus* inquit, *Socinianorum negabit, Deum consti-
tuisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris.* Quod profe-
cto nullus Socinianorum fatetur: ac Socinus etiam pro ex-
ecrabili errore habet: uti vidimus. Quid illum in hac causa
videre credamus, qui nec statum controversiæ Socinian
intelligit? Aut quam judicii æquitatem deinceps ab eo ex-
pectabimus, qui in ipso tractationis ingressu Amplissimum
virum sugillat, quia laborem susceperit probandi adversu
Socinum; id in quo controversiæ cardo versatur?

CAS

CAP. V.

Ostenditur superiorem Censoris errorem inde profluxisse, quod non distinxerit inter afflictionem & pœnam proprie dictam.

NOn abs re vero erit, si ostendamus, quid precipitem adeo egerit Ravenspergerum, ut vix iter egressus turpiter ceciderit, vereque fuerit, quod dici solet, cantherius in porta. Fons igitur caputque erroris est, quod non animadvertit, distinguere Socinum inter afflictionem & veram pœnam. Atqui quemadmodum philosophi, cum rerum naturam describunt, veri hominis naturam exponunt, non mortui aut picti: ita nec Theologi cum Satisfactionem Christi, pœnarum persolutione factam docent; aut Socinus, cum eandem negat, alias intelligit pœnas, quam veras: unde lib. II. de Servat. cap. VIII. ait: *Nunquam Deus aliena peccata in quoquam* VERE *punit, qui culpa affinis non sit.* Nempe fatetur potuisse Christum adfligi, præsertim volentem, quod & bono nostro factum ait: sed negat eam afflictionem habere rationem veræ pœnæ, quam eo ab afflictione distinguit, quod etiam insons, si in nostra sit potestate, affligi possit vel invitus; dum evidens inde capiatur emolumentum: at puniri insons pro noxio non possit, ne quidem si ipse subire supplicium sit paratus. Itaque sic inter alia scribit lib. III. cap. I. "Quemadmodum, "ut quis vere puniri possit, non satis est, quod ipse puniri "velit, nisi delictum aliquod commiserit: (relativa enim "sunt pœna & delictum, ita ut, ubi delictum non est; ibi "pœna esse nullo modo possit) sic, ut alicui vere aliena "peccata possint imputari, non satis est ipsum ita velle; "nisi imputationis antecedens alia digna causa subsit. "Potest quidem is, qui nihil deliquit, affligi, nec injuria; non modo si ipse velit, sed etiam invitus, si is in "alterius potestate sit, qui optimo aliquo consilio, "& fortassis illi ipsi salutari, ipsum licet & immerentem & invitum, affligi velit: sed ea afflictio "NULLA PRORSUS ratione pœna sive punitio "censenda erit. Sic etiam, qui nihil aut facit, aut in se "habet, quare aliena peccata sibi imputari merito possint: "potest quidem, sine injuria affligi: sed interim ea afflictio "nullo modo imputatio sive effectus imputationis alienorum peccatorum esse censebitur. Hinc fit, ut si Christo à "Deo aliena peccata vere imputata fuerunt; non satis

fuerit,

" fuerit, ipsum Christum id fieri alacri animo voluisse; sed " necesse sit, ipsum, ut ea sibi imputarentur, commeruisse: " quo nihil execrabilius excogitari potest. Idem Socinus " Prælectionum Theologicarum cap. XXI. P. 133. At enim, " inquiet aliquis, ibidem apud Esaiam scriptum est, castigationem pacis nostræ super Christum fuisse: quod satis " ostendere videtur, in Christo fuisse punita peccata nostra, atque ea ratione ea ipsa peccata id est eorum pœnas " in ipso positas, unde factum sit, ut nos pacem habuerimus, & cum Deo in gratiam redierimus, eique reconciliati simus. Respondeo, Castigationis verbum hoc apud " Esaiam loco non punitionem significare, sed afflictionem, id quod antithesis verbi Pacis satis demonstrat: neque enim recte paci punitio opponitur, sed afflictio re" ctissime. Siquidem pax apud Hebræos sæpe nihil aliud, " quam quietem & felicitatem declarat. Castigationem " autem pro afflictione sumi (ii enim qui castigantur, af" fliguntur) docet Psalm. LXXIII. 14 ubi scriptum est: *Et fui flagellatus tota die, & fuit castigatio mea singulis matutinis:* " quem locum sic interpretatus est Vatablus: *Nam quotidie plagas fero, singulisque matutinis afflictio mea est.* " Eandem au" tem pacis & afflictionis antithesin habes Jerem. XXIX. " 11. Itaque loci nostri sensus est, Christum afflictionem " subiisse, quæ nobis quietem & felicitatem peperit. " Hactenus Socinus.

Nihil igitur certius est, quam negare Socinum, ullas à Christo pœnas esse persolutas pro peccatis nostris: & hoc cum negat, veras pœnas intelligere, non pœnas κολαστικὰς acceptas, quatenus pœna idem est quod afflictio. Nam, uti vidimus, Christum bono nostro afflictum fuisse agnoscit: sed negat afflictionem illam habere rationem pœnæ: quæ ab afflictione differt, ut species à genere: quia omnis pœna est afflictio, at non contra omnis afflictio est pœnalis. Quod si pœnæ vocem late adeo extendamus, ut etiam non veram pœnam, hoc est universe afflictionem signet; negari non potest, Socinianos esse fassuros, Christum pro nobis esse punitum. Sed si istiusmodi κολαστικὰ ludere visum est, etiam iidem fatebuntur, non per simplicem peccatorum remissionem, quod ubique contendunt, sed per satisfactionem aliquam, & quidem à nobis præstitam, à peccatis non liberari: nempe quatenus vitæ integritas ab omnibus requiritur, quibus ignoscuntur peccata. Sed hæc vera satisfactio non est. Unde ipse Socinus in

prælect.

prælect. Theol. cap. XVII. " Deum nulla vera satisfactione
" accepta peccata condonare docebimus. Veram autem sa-
" tisfactionem ubique nomino, quia nihil dubito, quin
" Deus ab iis, quibus peccata ignovit, semper aliquid re-
" quisiverit, sive aliquid in ipsis esse voluerit, quod satis-
" factionis cujusdam loco censeri possit. Id autem nihil a-
" liud est, quam vitæ puritas atque innocentia, eaque vel
" jam præsens, cum errata committuntur, quæ ignosci de-
bent: vel ipsa errata subsequens.

CAP. VI.

Contra Censorem probatur, caput controversiæ inter Socinum & Catholicos minime in eo consistere, quod neget Socinus, Christum pro nobis pependisse pœnas æternas. Eadem demonstratur, quod à nonnullis asseritur, Christum esse perpessum cruciatus infernales, vel magnitudine infinitos, id pro dogmate universalis Ecclesiæ haberi non debere.

VIdimus in quo existimarit Censor, Socinum cum Catholicis probe convenire. Nunc de iis videamus, in quibus negat conspirare. Quæ ita tractat, ut contradicendi studium magis magisque eluceat. Nam eo occœcatus, meliorem Socino, quam unquam habuit, sententiam adfingit. Duo inquit, inficiatur Socinus. Prius est, *Christum pœnas æternas sive duratione, quod utrinque est in confesso, sive intentione, pependisse.* Sed hoc sponte corruit ex ante dictis. Socinus enim, uti ostendimus, non solum negabat, Christum pro nobis solvisse pœnas æternas; sed nullas subiisse pœnas contendebat. Præterea, quod ait Censor de pœnis intentione æternis, id Boœtium ænigma est. At rebus natura obscuris convenisset magis λόγῳ λόγος, non ille Heracliti, cujus illud, Σκότος: nec ille Carcini, vel Lycophronis, vel aliorum, qui studeant,

---- *Tenebras inducere rebus.*

Quod cum dico, non ignarus sum, non neminem alium similiter hodie loqui. Sed hac parte eum Censor imitari non debuerat. Nam plane novum est, ut æternitas ex intentione, quantitas nempe ex qualitate definiatur. Siquidem æternitas durationis est vocabulum: ut quod temporale est, eo ipso quod hujusmodi sit, æternum (nisi dura admodum καταχρήσει) dici minime possit. Forte illud voluit Censor, quamquam Christus non sit passus temporis infinito, tamen infinitam pertulisse acerbitatem. Sed ignoro

rare

rare non poteſt, loquendi hunc modum plurimis Catholicorum diſplicere. Nam, inquiunt, unumquodque quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: natura autem humana ſecundum ſe eſt finita, eoque cruciatuum natura ſecundum ſe infinitorum capax neutiquam fuit. Unde & eſſe contendunt, quod damnati in gehenna, cum perpeti non poſſint pœnas in ſe infinitas, patiantur pœnas duratione infinitas. An illud potius voluit Cenſor, Chriſtum eſſe paſſum pœnas infernales? Sane non ſolum corporis dolores, ſed etiã maximos & inenarrabiles animi angores perſenſiſſe, conſtat. Hoc enim, Evangeliſtæ & Apoſtoli ſignificant verbis iſtis λυπεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ἐκθαμβεῖσθαι, id eſt, *contriſtari graviſſime angi, expavefcere.* Item Chriſtus ipſe cũ animam ſuam fuiſſe ait περίλυπον, id eſt, *mœrore obſeſſam*: pluraq; alia in hanc mentem apud eos legere eſt. Quare, ſi non aliud Cenſor per pœnas infernales intelligit; nemo, puto, controverſiam ei de hoc movebit. Sin autem, quia illi qui in inferno ſunt, peccatorum ſuorum conſcientia ſe excruciant, favore divino excidiſſe ſe dolent, nec in tantis malis conſolationis quicquam perſentiſcunt, ſed de divina gratia & liberatione à pœnis penitus deſperant: eo perſuadeat ſibi, Chriſtum, qui pœnas noſtras pertulit, vel cuncta hæc, vel aliqua etiam ex iſtis, fuiſſe perpeſſum. non expoſcam, ut advocet ad partes, qui ſeculo noſtro hujuſmodi aliquid ſenſerint, vel ſcripſerint (nam ſuperſedere Cenſorem iſtis commemorandis non uno nomine malo) ſed illud exquiram, utrum hanc putet Catholicam eſſe ſententiam, à qua abit Socinus, & quam ſolam, non ſingulas doctorum opiniones, tuendas Grotius ſuſcepit. Nunquam, ſpero os ita perfricabit, ut hoc dicat. Quanquam ſi faciat, nihil proficiat. Nam trecentos poſſumus laudare, qui ſecus ſenſerint. Sed eorum nominibus abſtinebimus, ne occaſionem demus cenſori viciſſim obducendi nobis illos, quibus iſtiuſmodi aliqua exciderunt, quæ fortaſſe æterna ſilentii nube ſepeliri, quam in apertum proferri ſatius ſit. Iccirco unum tantum, eumque nuperum ſcriptorem laudabimus, qui fuſe hanc quæſtionem pertractavit. Eſt is Robertus Loëus, Exonienſis Eccleſiæ Theſaurarius, in Effigiatione veri Sabbatiſmi, quam dicavit Sereniſſimo Jacobo, magnæ Britanniæ Regi. Sic enim ille inter alia ſcribit: "Non ſolum charitatem, ſed normam charitatis, religionem, vehementer "à nobis flagitare arbitramur, ut reformatores noſtros a- "mice de illis moneamus: quæ turbulenter in pacem, improbe

" probe in Christianam pietatem sæpius effuderunt. In qui-
" bus illud primo reprehendendum occurrit; quod cœlo-
" rum gloriam, terrarum salutem, inferorum terrorem,
" Christū, tartareos in cruce cruciatus subiisse dicunt. Tar-
" tareos enim cruciatus, vel cum dulcis spei solatio con-
" jungi. vel à discrucianti desperatione separari, omni om-
" nino rationi repugnat. Sed virtutum perfectionem, Chri-
" stum, de amoris in se amore vel leviter dubitasse, horret
" animus cogitare. Interea fatetur idem tantum doloris
" subivisse Christum, quantum cadere potuit in animam,
" quæ beata sibi præmia destinari cognovit. Fatetur, cum
Damasceno lib. III Orthod. Fid. cap. XX. " quod omnia ma-
" la susceperit Christus, quæ nec scientiæ obscurant lucem,
" nec perfectioni resistunt gratiæ. Fatetur subtracta illi ad
" tempus fuisse solatia, quibus semper antea sanctissime
" fruebatur: luctuosa illa tenebrarum hora occuluisse se
" majestatem Dei, & usitata ad Christum solatia non per-
" misisse defluere: eoque in lachrimabilem illam (quæ à
" desperatione tamen non minus est aliena, quam pieta-
" tis & amoris plena) querelam erupisse, Mi Deus, mi
" Deus, quare me dereliquisti? Solum negat, sanctum Dei
" filium, vel de sanctissimi Patris amore levissime dubitasse:
" vel cum beata alias promitteret gaudia, ne æternis ipse
" opprimeretur doloribus, timuisse: vel affectionum mo-
" dum ac moderationem in timore non tenuisse: vel nimia
" perturbationum vehementia dulcem virtutum harmo-
" niam in sua ipsius anima violasse. Contendit item nequi-
" tiæ nexu & tyrannide diaboli homines esse liberatos per
" cruciatus Christi, non quod tempore AUT MAGNI-
" TUDINE fuere infiniti, sed quod infinita fuit ejus per-
" sonæ dignitas, quæ tam acerba pro indigniſſimis suppli-
" cia patiebatur. Et sane, si antiquos etiam Patres audimus;
vel omnes, vel prope universi, quoties sermo est de satisfa-
ctione culpæ, ita soluti pretii magnitudinem ei, quod de-
bebatur, respondere, & cumulate respondere agno-
scunt, ut interea infinitum illum valorem non petant ex
sola passione & morte Christi simpliciter, sive intrinsece &
secundum naturam suam considerata, (quamquam & inde
vim maximam trahere fateantur) verum etiam, & mul-
to magis ex personæ virtute ac dignitate, quæ infinite
erat sancta, infinite Deo grata: ut merito Deus Chri-
stum (utpote verum, naturalem, & unigenitum filium
suum) non minus amârit, quam universam scelerate-
rum

rum colluviem oderat: vitaque ejus non minoris, imo majoris multo debuerit æstimari, quam vita omnium mortalium. Hinc Cyrillus Hierosolymit. Catech. XIII. Μὴ θαυμάσῃς, εἰ κόσμος ὅλος ἐλυτρώθη· οὐ γὰρ ἦν φιλὸς ἄνθρωπος, ἀλλὰ υἱὸς θεοῦ μονογενὴς, ὁ ὑπεραποθνήσκων. Alter Cyrillus, puta Alexandrinus, epist. ad Ægypti monachos T. I concilii Ephesini cap. I. Ἤρκεσεν εἷς ὑπὲρ πάντων ὑποθανὼν, ὁ πάντων ἀξιώτερος. Et commentariis in Ioh. (qui Græce nondum prodierunt) lib. II. c. I. *Unum pro omnibus, quoniam & omnes sunt in ipso, & omnibus ipse melior est.* Similiter idem Homil. Ephesi in Nestorium dicta, Ambrosius in cap. VII. Lucæ, Proclus Constantinopolit. Homil. de Christi nativitate, Anselmus lib. II. cur Deus homo, & alii, (quos enumerare sit longum) imprimis interpretes in cap. V. ad Rom. & illud Psaltæ, *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.* Atque eadem Scholasticorum mens. Thomas Aquinas III. dist. XX. 3. " Vita corporalis Christi habebat quen-
" dam infinitum valorem ex conjuncta divinitate, in quan-
" tum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis.
" Idem 3. par. quæst. XLVIII. art. 2. Ille proprie satisfacit pro
" offensa, qui exhibet offenso id, quod æque, vel magis di-
" ligit, quam oderit offensam. Christus autem ex charitate
" & obedientia patiendo, majus Deo aliquid exhibuit,
" quam exigeret recompensatio totius offensæ humani ge-
" neris. Primo quidem propter magnitudinem charitatis,
" ex qua patiebatur. Secundo propter dignitatem vitæ suæ,
" quam pro satisfactione ponebat: quæ erat vita Dei &
" hominis. Tertio propter generalitatem passionis, & ma-
" gnitudinem doloris assumti. Et ideo passio Christi non
" solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio
" fuit pro peccatis humani generis: secundum illud I. Ioh.
" II. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro no-
" stris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Nec aliter Bonaventura in Breviloqu. p. IV. cap. VII. Trecenti etiam sunt è reformatæ Ecclesiæ doctoribus, apud quos eadem legas: sed contentus ero nominare Clariss. præceptorem & socerum meum Franciscum Iunium, qui aperte cum Cyrillo docet non tam redimi nos sanguine ac passione Christi, ut est hominis innocentis, quam ut idem est Christi θεανθρώπου. Sic enim scribit Parall. lib. III. in cap. IX. ad Hebr. " Quia potuissent nonnulli objicere, mate-
" rialem illum sanguinem Christi, qui profusus est in re-
" missionem peccatorum, non minus per se carnalem esse

sub-

"ſubſtantia ſua, quam ſit animalium ſanguis, quæ Lex im-
"peraverat : propterea ſanctiſſima quadam occupatione
"oſtendit Apoſtolus, maximum diſcrimen eſſe inter hæc
"duo comparationis membra: quia ſanguis Chriſti non eo
"ſimpliciter nos purgat & abluit à peccatis noſtris, quia
"ſanguis materialis eſt; ſed quia ſanguis Chriſti eſt, ſermo-
"nis illius æterni, qui carnem ſibi aſſumſit in unitatem
"perſonæ ut ea ipſa caro filii Dei in ipſo ſubſiſteret : ac
"proinde vis æterna filii Dei in eo ſanguine, cum eo & per
"eum, ſervata utriuſque naturæ proprietate, operatur ad
"purgationem & ſanctificationem noſtram : quemadmo-
"dum virtute illa divina totus ipſe Chriſtus, & per conſe-
"quens, ſanguis ipſius Deo acceptus eſt, & conſummata
"noſtra redemptio. Atque hoc illud eſt, quod ſibi volunt
"hæc (Apoſtoli) verba. Chriſtum per ſpiritum æternum,
"id eſt Deitatem ſuam, ſecundum quam ſpiritus eſt coeſ-
"ſentialis & coæternus Patri & Spiritui S. ſe ipſum obtu-
"liſſe inculpatum Deo Sic enim conſtat, non carnale, ſed
"ſpirituale Chriſti ſacrificium habendum eſſe : quamvis
"materia carnis & ſanguinis, quam Chriſtus propterea aſ-
"ſumſerat, ab eo ſacrificio excludi pie nullo pacto poſſit.
"Nam quantulum eſt illud, quod de carne & ſanguine
"Chriſtum in ὄμοιον hoc ſacrificio pro nobis oblato præ-
"dicatur, ſi cum perſona ipſa Filii Dei comparetur, quæ
"aſſumſit carnem & ſe ipſam obtulit Deo ad remiſſionem
"peccatorum & reconciliationem noſtram. Et paulo poſt:
"Non ſimpliciter ſanguis, ſed ſanguis Chriſti appellatur,
"determinatione tam neceſſaria quam quicquam eſſe poſ-
"ſit : quia (ut ex Cyrillo ante dicebamus) non eo purgat,
"quod ſanguis eſt ; ſed tantum, quod ſanguis eſt Chriſti,
"qui ſe ipſum tradidit pro nobis & ſanguinem ſuum effu-
"dit. Atque hæc ſatis oſtendunt, eos, quos diximus, effu-
ſionem ſanguinis, hoc eſt, corporis & animi pœnas à
Chriſto perſolutas, ita æternis ſuppliciis dixiſſe æquales,
ut æqualitatem eam non à pœnarum intenſione, ſed per-
ſonæ dignitate deducant: Et ſane hoc magis rationi videri
conſentaneum, etiam ea evincunt, quæ diſputat vir Am-
pliſſimus in fine cap. 8.

CAP.

CAP. VII.

Ostenditur Censorem incidisse in superiorem errorem, quod non distinxerit inter id, quod præcipue Socinus intendit, & quod ex eo consequitur, atque ad ejus probationem affertur.

EX his vel cæco perspicuum est, cum in eo constituit Censor caput controversiæ, utrum Christus subierit pœnas æternas, sive Tartareas aut intentione ac magnitudine infinitas; atque hoc solum negasse contendit; nihil vel à vero alienius, vel de Socino benignius, scribere potuisse. Ut qui illi tribuat opinionem, quæ non solũ præstantium seculo nostro virorum sed saniorum etiam scholasticorum, & vel omnium, vel prope omnium veterum Ecclesiæ doctorum fuit. Quid eum in errorem istum induxerit, hoc loco explicabimus, ne postea alius eodem implicetur. Nempe uti, cum non distingueret inter afflictionem, & veram pœnam, credidit Socinum, quando Christum pro nobis afflictum fuisse concedit, etiam concessisse, punitum fuisse pro nobis: ita cum videret, subinde à Socino negari, Christum æternas pœnas subiisse; nec (quod Socinus facit) inter principalem & incidentem quæstionem satis distingueret; hoc caput fuisse controversiæ putavit. Atqui principalis quæstio est, utrum Deus pœnas ullas pro peccatoribus exegerit, an vero, nulla interveniente pœna aut satisfactione, offensam deposuerit. Hoc asserit, illud negat Socinus. Atque ut suam sententiam probet, eo pugnat argumento, quod peccatum ex sententia nostra mereatur pœnam æternam: Christus autem non subierit pœnam æternam: unde concludit, eum non satisfeciisse, sive non punitum esse pro nobis. Χριστὸς igitur sive principalis quæstio est, an Christus pœnas dependerit pro peccatis nostris. Κεφάλαιον εἰδικὸν sive quæstio incidens est, An punitus sit pœnis, vel æternis, quod nemo asserit; vel quæ pretii magnitudine respondeant æternis; uti Catholicorum sententia est. Hæc ita esse, ostendunt loca, quæ ex Socino supra citabamus: imprimis illustris ille Prælect. Theolog. cap. XV. & XVIII. quem non repono, ne fiat, quod dici solet, Crambe repetita.

CAP.

CAP. VIII.

Ostenditur falli Censorem, cum contendit, non negaturum Socinianorum quempiam, Christum esse punitum ad demonstrationem alicujus justitiæ divinæ.

VIdimus de priori capite, in quo Ravenspergerus existimabat, Socinianos à Catholicis potissimum dissidere. Ad alterum accedamus, quod in eo idem constituit, quia Socinus neget, *illa pœna* (intentione æternæ) *pensione seu perpessione divinæ justitiæ pro nobis, seu pro pœnis, quas nos debebamus, satisfactum esse.* Sed nihilo rectius Socini hac parte mentem intellexit, quam in illis, de quibus antea diximus. Nec enim, qui Christum pro peccatis nostris vere pœnas pependisse fateatur, satisfeciſſe pro nobis inficias iverit; quando pœnam pendere & solvere idem est. Atque idcirco Socinus, ne ponat ἀσύστατα, quod à Censore fit, non minus pœnas pependisse, quam satisfeciſſe pro nobis negat. Verum, ut aliquid dicere videatur, distinguere Socinum ait, inter justitiam perpetuam, & non perpetuam: quarum illam exerceat Deus erga impœnitentes; hanc erga simpliciter peccatores, eum, non expectans eorum pœnitentiam, punit illos, etsi nondum contumaces aut desperatos. Christum igitur, ex Socini sententia, punitum pro nobis esse arbitratur ad demonstrationem justitiæ, quam non perpetuam vocârat. Sed profecto illa justitiæ distinctio solum hoc fine à Socino adfertur, ut ostendat aliquam in Deo esse justitiam, qua uti possit, possitque non uti. Nusquam vero vel Socinus, vel ejus sectatores accommodant illam ad perpessiones Christi; neque, nisi pugnantia dicere voluissent, facere id potuissent. Siquidem alias assignant passionis mortisque Christi causas, & ita assignant, ut præter illas esse alias negent: quod imprimis liquet ex iis, quæ antea citabamus è Catecheseos Polonicæ Loco de Prophetico Christi munere cap. VIII. Et tamen non dubitat Ravenspergerus, tanquam è tripode, pronunciare, neminem id Socinianum negaturum: quod profecto fatebitur nemo. Ita ille adspectu Attico etiam in certissimis, *tam aperto capite* adversus Grotium sententiam fert,

Quam in tribu aperto capite fontes condemnant reos?

Ut ait ille. Atqui si Socinus vel asseclarum quisquam fateretur, esse in Deo justitiam, ad cujus demonstrationem

Chri-

Christus pœnas pependerit: non negarent passim, ullam in eo justitiam esse, cui quicquam fuerit persolutum. Uti cum Socinus disputationis de Iesu Christo Servatore part. II. cap. VII. ait: " Ego nego Christum justitiæ Divinæ " QUICQUAM pro nobis solvisse. Et ibidem: Fateor le- " sum Christum propter iniquitates nostras & pro peccatis " nostris mortuum esse; sed inde tamen consequi constan- " ter nego, ipsum Christum ALICUI divinæ justitiæ pro " peccatis nostris satisfecisse, sive id solvisse, quod nos pro- " pter peccata nostra solvere debuissemus. Mori enim pro- " pter peccata, seu pro peccato alicujus, NIHIL ALIUD " est, quam causa sive occasione peccatorum istius mori. " Causa autem sive occasione peccatorum alicujus is certe " moritur, qui ideo moritur, ut quis à peccatis suis retra- " hatur, atque illi fides fiat, peccata sibi, si ab illis se re- " traxerit, condonatum iri, ac præterea, ut is fructum ejus- " modi condonationis, & ita ipsam condonationem re " ipsa sentiat & consequatur. Atqui, ut nobis hæc omnia " evenirent, mortuus est Christus, & cap. VIII. Reconci- " liandi verbum non divinæ ALICUI justitiæ satisfacien- " di vim habet: sed nostram TANTUMMODO ad Deum " conversionem, quam ipse procuravit, atque hac ratione " cum eo renovatam vel potius initam amicitiam significat. Et sane, cum Socinus totum illud de punitione pro nobis præfracte neget, uti abunde ostendimus; quomodo potuisset in Deo justitiam aliquam constituere, ad cujus demonstrationem Christus pœnas pro nobis pependerit? Miro sane affectu præpeditum esse Censorem oportuit, qui hoc de argumento acturus, quid illud sit, quod Socinus dicat aut neget; quodque controversiæ caput est, plane prætervidit, egregie scilicet ad agendam censuram comparatus. Nempe hoc est vere, quod scripsit Ennius: *Qui sibi semitam non sapiunt, alis monstrant viam.*

CAP. IX.

Ostenditur contra Censorem, Grotium & manifeste & directe contradicere Socino: breviter quidem, cum sententiam Catholicam explicans; Christum dicit pœnas pependisse, hoc est solvisse pro nobis & demonstratam esse hoc pacto justitiam divinam: fusius autem, cum argumenta, quibus hoc colligitur, pertractat.

AT bellus ille pictor, qui Socinianos nobis καλλιαλίους ac meliores multo depingit, quam sint, vel haberi velint

velint: idem, fortem Socinianorum adversarium ita nobis describit, quasi idem, quod Socinus dicat. Sane patritiæ istæ artes sunt, (cum inter Socinum & Grotium tanta sit diversitas, quanta inter Æthiopem & Belgam solet;) ut concolores videantur, illum quidem pigmentis quibusdam dealbare, hunc aliis denigrare. Hoc vere est fucum facere lectori. Sed nos pigmenta illa abluemus, ut nativi appareant colores. Primum, quod Socinum ait in eo cum Catholicis consentire, quod Christus pro nobis pœnas pependerit: hoc falsissimum esse, satis antea evicimus. Deinde quod hic negat Grotium, Catholicæ fidei caput defendere adversus Socinum, hoc æque est à veritate alienum. Atqui, inquit, non affirmat Grotius, Christum pœnas æternas pependisse.

Credo equidem: nec vana fides, ---

Nam Christianus qui esse volet, necesse est, statuat Christum à mortuis resurrexisse, ascendisse in cœlos, sedere ad dextram Patris. Æternis vero pœnis fuisse addictum

---- *Credat Iudæus Apella:*

Christianorum nemo. At dicet se loqui de pœnis intentione æternis: atque ita se explicasse. Ego verius dixerim implicasse. Verum ne de verbis velitari, atque, ut Madaurensis ille loquitur, verbigerare velle credamur, intellexerit sane vel tartareos cruciatus, vel magnitudine infinitos; quando ea quorundam sententia est: quid? non ipsa Grotiani operis inscriptio docere eum poterat, Amplissimum virum, uti antea etiam dicebamus, non particulares doctorum opiniones, sed veritatem Catholicam defendendam suscepisse? Atqui an pœnæ, quas Christus est perpessus, ob magnitudinem sui: an potissimum, ob personæ dignitatem, æternis fuerint æquales: hoc illud est, de quo nondum satis convenit inter Ecclesiæ doctores. At in eo conspirant universi, quod pœnæ à Christo persolutæ, etiamsi fuerint temporales, æternis tamen, pretio ac dignitate respondeant. Æqualitatem vero inter pœnam Christi & pœnam nobis debitam, clare probat Grotius cap. v. ubi de pœnæ relaxatione per compensationem tractat: item cap. VIII. ubi pretii vox explicatur, atque ejus hoc esse proprium dicitur, ut tanti, quanti res est, æstimetur. Verum picturæ suæ alium etiam colorem inducit Ravenspergerus. A Grotio, inquit, non affirmatur, *illa pœna pensione seu perpessione, divinæ justitiæ pro nobis, seu pro pœnis, quas nos debebamus, satisfactum esse; quod liquido hic affirmandum erat, ubi contra*

blasphemum Socini placitum Catholica Sententia ponitur. Imo, quia Catholica hic sententia ponitur, eo æternæ pœnæ perpessione Deo esse satisfactum, affirmare hic nihil attinebat: quando istoc, uti vidimus, Catholicum dogma non est, sed illud potius, satisfactum esse divinæ justitiæ solutione pœnarum, quæ tempore æternis essent pretio æquales. Absit vero, ut hujusmodi pœnis divinæ esse justitiæ satisfactum, non agnoscat Vir Amplissimus. Totus enim liber hoc potissimum agit, ut probet, perpessiones Christi fuisse satisfactorias. Hac autem satisfactione demonstratam esse justitiam divinam, prolixe docet cap. 1. P. 32. ubi contra Socinum asserit, Dei severitatem justitiæ etiam nomine in sacris literis nuncupari. Etiam cap. 5. P. 160. ostendit pœnarum retributionem nasci ex justitia Dei. Imo ipsa illa Amplissimi Viri verba, *salva divina justitia demonstratione*, quæ Socino adversari Censor negat, è diametro ei repugnant. Nam inficiatur Socinus, justitiam Dei, qua pœnæ infliguntur, demonstratam esse morte Christi: quippe quæ non habeat rationem pœnæ. Unde & idem Socinus lib. II. cap. II. justitiæ nomine non illam, quæ puniendo ostenditur, sed veracitatem Dei, vel justitiam nostram intelligi censet Rom. III. 24. Quare in afflictionibus Christi nec perpetuam, nec arbitràriam justitiam agnoscit Socinus. Imo ubique negat, motum esse Deum perpessionibus Christi ad peccata nobis remittenda. Et hic est errorum ejus fons ac radix; non illud, quod Censor Socino affingit, quod est plane ἀσύστατον.

CAP. X.

Ostenditur, falso Grotium accusari, quasi cum Socino dicat, præter fidem & pœnitentiam, nullo alio medio interveniente, liberari hominem à peccato.

PErgit Censor, *Socinus* inquit, *securitatem nostram à rigore divinæ justitiæ ad respectum sive conditionem fidei in Christum astringit: hoc est, docet, justitiam fidei per fidem in Christum & pœnitentiam,* NULLO ALIO INTERVENIENTE MEDIO, *mutari.* Negat deinde Grotiana verba huic commento repugnare. Sane de discretis Mysorum ac Phrygium terminis celebre est illud:

Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ φρυγῶν ὁρίσματα,
Τὸ δὲ διορίζειν χαλεπὸν.

Fines

Fines ſeorſum Myſiæ ſunt & Phrygum,
Finire vero eſt arduum ---

Sed de Socinianæ & Grotianæ doctrinæ finibus, hoc eſt Catholicæ ſententiæ finibus, hoc dici non poteſt.

--- Πολλὰ γὰρ ἐν μεσαιχμίῳ
Νότῳ κυλίνδῃ κύμαθ' ὑρείης ἁλὸς.
--- Inter has enim Noto
Volvuntur undæ plurimæ vaſti maris.

Siquidem Socinus, ut ipſe Cenſor agnoſcit, *nullo alio medio interveniente*, hanc fidei attribuit ſecuritatem: id eſt liberationem à pœna. Grotius vero aliud ſtatuit medium intervenire: nempe perpeſſiones Chriſti, habentes rationem pœnæ, propter quas Deus nos à pœnis velit liberare. Grotio igitur prius eſt medium ſatisfactionis, quam fidei: at Socino ſolum medium eſt fides, non ſatisfactio: quæ inter ſi pugna ἀσπονδος non eſt,

Nil intra eſt oleam, nil extra in nuce duri.

Adde quod Ampliſſimus Vir, cum fidem VERAM ait intercedere, fidem eam intelligit, quæ ſatisfactionem ipſam apprehendit: qualem Socinus non agnoſcit. Hujuſmodi vero fidem intervenire ante ultimum ſatisfactionis effectum; & ſcriptura manifeſte oſtendit, & nemo Orthodoxus negat. Lucillianum igitur illud,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Veriſſime de Ravenſpergero dici poteſt, quando is ait, "Nullum Socinianorum negaturum, Deum conſtituiſſe, "ut Chriſtus pœnas penderet pro peccatis noſtris, ut ſalva "divinæ juſtitiæ demonſtratione, nos, intecedente vera "fide, à pœna mortis æternæ liberaremur. Nullus enim eorum fatebitur, Chriſtum vere eſſe punitum, ſed illud de pœnis in totum omnes negant: nullus etiam fatebitur, id factum eſſe ad demonſtrationem divinæ juſtitiæ, cum in Deo hic non agnoſcant juſtitiam ullam, quæ puniendo oſtendatur: nullus denique fatebitur, Chriſtum pependiſſe pœnas, ut intercedente vera fide liberemur à peccatis: quia ſi ad hiſtoriam Evangelicam pertinet, quod Chriſtus pro nobis pœnas pependerit, hiſtorica etiam fides (quam à Socino intelligi, ait Cenſor) iſtud agnoſcere debet: at Sociniani ſatisfactionem in totum negant, nedum in ea fiducia certa recumbant; quod veræ & ſalvificæ fidei Theologi communiter adſcribunt.

CAP. IX.

Inique usum vocis PLACITI, *Grotio objici comprobatur.*

DE placiti autem vocabulo prope est indignum, quod moneamus. Dicendum tamen propter Censorem, qui Virum Amplissimum reprehendit, quia eo utatur, cum de noxio Socini dogmate sermo est. Satis grave esse vocabulum negat: &, quasi id semel monuisse non sit satis, etiam postea semel iterumque uncialibus illud literis amat objectare. Atqui PLACITUM, τὸ δόγμα vocabulo respondet: quod, ut neque Grammaticorum pueri nesciunt, universe notat philosophorum sententias, etiam absurdissimas, & noxias plane: cujusmodi sunt δόγματα seu placita Epicureorum, & aliqua Stoicorum. A qua generali notione est, quod philosophi universi à Laertiensi Diogene dividuntur in δογματικοὺς, Ἀκαδημικοὺς, καὶ σκεπτικοὺς, & à Sexto philosopho in δογματικοὺς, καὶ σκεπτικοὺς, quodque à Galeno (si illius est liber περὶ φιλοσόφου ἱστορίας) quatuor statuuntur τῆς φιλοσοφίας αἱρέσεις, δογματικὴν, σκεπτικὴν, ἐφεκτικὴν, καὶ μικτὴν. Interdum autem τὸ δόγμα vocem reservant Latini, interdum vertunt decreta, quod Tullio imprimis placuit lib. IV. Tusc. Quæst. & IV. Academ. Quæst. interdum item Placitum transferunt: unde Gloss. vet. *Placitum*, δόγμα ἀρεσκὸν. Atque hinc Plinius Veronensis, etiam opiniones medicorum, quas damnat, hoc nomine appellat lib. XIV. cap. XXII, quo, de vitanda ebrietate tractans, inter alia inquit, *Tiberio Claudio principe ante hos annos* XL. *institutum, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis, novitate aliqua sese commendantium.* Quod autem Latini sic vocarunt, hoc ipsum fecerunt imitatione Græcorum, qui dicunt τὰ ἀρέσκοντα τοῖς φιλοσόφοις. Ita Plutarchi (forte junioris alicujus, quando Chæronensis illius & dictio & sententia longe alia est) quinque habemus libros, cum inscriptione istiusmodi, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Doctissimus Budæus, qui eos Latinos fecit, vertit: *De placitis decretisque philosophorum.* Sed misso hoc pulvere Grammatico, ad ea, quæ majoris sunt momenti, transeamus.

CAP.

CAP. XII.

Causa satisfactionis impulsivæ, explicantur.

Postquam Censor impugnavit, quæ ad statum controversiæ inter nos & Socinum constituendum, pertinent; gradum ad ea effert, quæ de causis Satisfactionis à Grotio dicuntur. In his ita versatur, ut omnia confundat,

Delphinum sylvis appingens, fluctibus aprum.

Nam cum satisfactio sit pretii sive pœnę persolutio pro peccatis nostris, ut nos à miseria liberemur: oportet distincte consideremus, tum malum, quod passus est Christus; tum bonum, quod obtigit nobis. Bonum illud est placatio Dei Patris, sive liberatio nostri à miseria. Malum quod Christo obtigit, est passio & mors: quæ vel consideratur simpliciter & in genere, ut est punitio; vel ut est punitio pro alio, sive trãslatio pœnalis. Singulorũ causas ordine considerabimus.

Liberatio à malo universe spectata, non includit liberationis modum, quia etiam liberatio sit, si non interveniente satisfactione, simplici peccatorum condonatione, consequamur vitam æternam. Citra hunc modum considerata, προηγουμένως sive internam causam habet, bonitatem & misericordiam Dei: προκαταρκτικῶς vero sive externam, miseriam nostram.

Causa meritoria hujus liberationis nostræ, est satisfactio Christi: quam considerari diximus, vel ut punitio, vel ut pœnæ est translatio.

Punitio omnis qua talis, sive imperſonaliter spectata, causam προηγουμένως habet justitiam Dei ἀνταποδοτικῶς sive retributivam: προκαταρκτικὴ vero causa sunt peccata, itidem imperſonaliter & in genere spectata, sine determinatione, num quis pro suis peccatis patiatur, an alienis.

Punitio vero, qua pro alio est, sive ut est translatio pœnæ, plane misericordiæ divinæ opus est, quia hæc impellit Deum, ut filium det nobis: ut autem filium, quem dare vult nobis, etiam pati velit bono generis humani, impellunt Deum peccata nostra. Ergo cur pœna transferatur in Christum, προηγουμένη quidem causa est bonitas & misericordia Dei, quæ, ne periremus, filium nobis dedit. προκαταρκτικὴ vero causa sunt peccata nostra satisfactionem exigentia: per quæ fit, ut non simpliciter à miseria liberemur, sed per translationem liberemur.

Hæc omnia, quasi πυλαπλοῦν miscendum esset, confudit Ravenspergerus: quemadmodum ex iis liquebit, quæ deinceps dicemus.

CAP. XIII.

Castigatur error Censoris, Grotium culpantis, quod peccata pœnam commerentia retulerit inter causas satisfactionis.

TErgeminum se errorem Grotii observâsse ait in explicatione causarum. Primus est, quod scripserit, *causam, quæ Deum movit, esse peccata pœnam commerentia.* Atqui scriptura sic loquitur, quæ Christum mortuum esse dicit, propter peccata nostra. Verum, inquit, Censor, *Res, de qua agitur, est satisfactio, ut apparet vel ex libri titulo.* Imo res est totum illud, nempe nostra liberatio per satisfactionem. Duo Dei actus totidem causas requirunt. Actus nostræ liberationis divinam bonitatem causam habet. Sed alter actus, exactio nimirum pœnæ per modum satisfactionis, causam eam habet, quæ ad pœnam exigendam irritat. id autem est peccatum. Quare, qui peccato causam hujus satisfactionis assignat, non habet necesse id dicere, quod vult Censor, *peccata pœnam commerentia esse illud, quo Deus extrinsecus motus & provocatus sit ad mittendum misericorditer filium suum, qui pro nobis satisfaceret:* (hoc enim esset causam reddere totius complexi non membri unius) sed peccatis Deum motum, ne nos liberaret aliter, quam de filio pœnas exigendo. Totius autem complexi, nempe quod Christus missus sit, datusque in mortem ad nostram liberationem, causæ sunt & bonitas Dei, & peccata nostra. Bonitas Dei donum est, quod liberare nos voluit: quod vero aliter, quam tali modo, liberare nos noluit, peccatorum nostrorum est meritum. Primus hic Censoris lapsus est, quod distincta sententiæ totius membra non distinxit, & eandem statuit causam miserendi, quæ causa fuit pœnam exigendi.

CAP. XIV.

Ostenditur contra Censorem, justitiam Dei à Grotio inter causas satisfactionis reponi: item ἀσύστατα esse, quæ de immutabili Dei judicis postulato & moderamine ejusdem, à Censore dicuntur.

EXinde reprehendit Grotium, quod qui peccata in causis Satisfactionis explicandis ponat, justitiam Dei in iis non ponat. "Quid, inquit, animi, cordatos viros gerere "putat super silentio illo suo, quo justitiam tacitus præ- "teriit? Atque hic, ait, alter est Grotii lapsus, subtilior quidem,

quidem, ſed periculoſior. Nos etiam alterum, eumque gravem hic lapſum videmus, ſed Cenſoris, qui dum, reprehendendi ſtudio Hypſea cæcior factus, nec ea, quæ ante oculos ſunt, videt, dixiſſe Grotium negat, quæ ab eo dici etiam luſcitioſi vident. Nonne enim dicit, Chriſtum pœnas pependiſſe pro peccatis noſtris? Atqui hic dupliciter juſtitiam includit: primum, quia punitio eſt actus juſtitiæ: deinde quia peccata ſunt, quibus juſtitia pœnam retribuit. Sed cum ob peccata Chriſtum traditum eſſe dicat ſcriptura, cum ipſa, quam extra ipſam loqui Grotius maluit. Etiam juſtitiam ibidem expreſſit, quando, cum eadem ſcriptura, ait, à Deo punitum eſſe Chriſtum *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ*, Rom. III. 26. pro quo verſ. ſeq. dicitur, *ut ſit ipſe juſtus*. Uterque enim hic loquendi modus ſuapte vi finem ſignificat: ut alter ille, *ob peccata*, impulſivam. Non igitur juſtitiam tranſmiſit Grotius, ſed ſuo eam loco collocavit. Nec idcirco negat juſtitiam eſſe cauſam impulſivam, quia demonſtrationem ejus cauſam finalem, peccata vero impulſivam cauſam facit. Nam illud quoque fatetur cap. I. ubi diſertim teſtatur, *juſtitiæ nomine ſignificari illam Dei proprietatem, quæ Deum* MOVET *ad peccata puniendа*. At in illa brevi ſententiæ ſuæ explicatione iis uti locutionibus voluit, quibus ſcripturæ verba directe reſponderent.

Fatetur mox Cenſor, peccata poſſe dici cauſam externam, irritantem Dei juſtitiam, ut poſtulet ſatisfactionem. Cur ergo Grotium reprehendit in eo, quod verum agnoſcit? Propterea, inquit, quod juſtitiam non facit cauſam impulſivam. Imo vero facit, alibi claris verbis: eo vero, quem reprehendit, loco implicite. Nam, uti diximus, demonſtrationem juſtitiæ facit cauſam finalem: quod qui dicit, præſupponit juſtitiam eſſe cauſam προκαταρκτικὴν. Etiam Chriſtum ait pœnas pependiſſe: punitio autem eſt actus juſtitiæ. Dicit punitum ob peccata, quæ Deum moverint ad puniendum. At ſecundum quam proprietatem. Sane eam, quæ eſt retributiva, quam in ſcripturis ſacris appellari juſtitiam, à Grotio adverſus Socinum oſtenſum eſt. Idem ergo dixit, quod Cenſor; ſed ſententiam ſuam paucis complexurus, maluit proxime ſequi veſtigia ſcripturæ. At Chriſtum datum eſſe in mortem ob juſtitiam diuinam (ita enim προκαταρκτικὴ cauſa ſignificaretur) ut ſatis commode dicatur, certe cum ſcripturis non dicitur.

Parcere igitur operæ potuit Censor, cum probandum sibi putavit, justitiam inter satisfactionis causas poni debuisse. Sed tamen, quo id argumento ostendat, videamus. "Justitia Dei inquit, pœnam peccatis promeritam irrogari "homini: misericordia Dei, hominem è miseria liberari "volebat; Ergo justitia prius, & quidem IMMUTABILI-"TER, satisfactionem postulabat: misericordia postea per "Christum eam fieri procurabat. Paulo post de justitia misericordiaque subjicit ista: "hic locus est distinctioni inter "postulatum Dei judicis, quod IMMUTABILITER "NOS URGET ad satisfactionem: & MODERAMEN "Dei patris, quo fit, ut satis sit, unum, nempe Jesum Chri-"stum, satisfacere pro nobis omnibus. Ubi si non aliud voluit, quam punitivæ seu vindicativæ justitiæ eam esse naturam, ut exigat satisfactionem pro culpa; atque hoc ei immutabiliter competere: rem certissimam dicit, quando quod formale seu essentiale est, idem immutabile est. Sin illa potius, (uti, quæ inferius dicet, satis ostendunt) ejus mens est, talem esse justitiæ naturam, ut Deus, vi illius impulsus, necessario puniat peccatum, ac nisi pœnas exigat, mutabilis sit dicendus: illud sibi sumit, de quo nondum convenit inter eruditos. Nam plurimi contra pertendunt, cum bonitas & misericordia Dei non minus proprietas ejus sit, quam justitia: ac quanquam ex misericordia non egisset, sed puniisset universos, minime eo mutabilis, vel etiam immisericors potuerit dici: similiter neque, extra decreti considerationem, mutabilem vel injustum dici potuisse, quanquam ignovisset universis citra ullam satisfactionem. Atque hoc qui dicunt, satisfactionem, ante decretum Dei, considerant ut liberam; in decreto, ut magis congruam; post decretum, ut necessariam: quam sententiam sanctis etiam Patribus placuisse, inferius ostendemus.

Sed aliud etiam est in proxime citatis verbis, quod ei, dum animus in Batavia peregrinatur, excidisse credibile est. Nam quod ait, justitiam Dei, sive postulatum Dei judicis nos (nos ipsos, inquam, qui peccavimus) IMMUTABILITER ad satisfaciendum urgere, nec recte dicitur, nec congruenter illi, quod addit de moderamine Patris, quo fiat, ut satis sit unum pati pro omnibus. Quod enim ulla Dei proprietas immutabiliter exigit, id moderamen non recipit. Siquidem moderamen immutat aliquid: puta personam, quæ pœnam ferat. At Dei proprietates, ut distinctæ sunt, ita minime inter se pugnant; eoque non potest una immu-

immutabiliter postulare, quod per alteram immutetur. Gravis hic est Censoris lapsus, & divinæ naturæ simplicitati injurius.

CAP. XV.

Refellitur Censoris tergeminus error, quod peccata neget esse causam satisfactionis ex eo ad c. 21. lib. 2. quod sanguinem Christi dicat esse causam satisfactionis meritoriam, quodque naturam potius quam morbum dicat impellere ad sanationem.

TErtium in explicatione causarum errorem Grotii facit, quod dicat, *peccata* esse *causam impulsivam & meritoriam pœnæ. Nam*, inquit, *hoc à proposito alienum est: quia non quæritur de causa procatarctica meritoria pœnarum, sed de procatarctica meritoria satisfactionis.* At nos contra pertendimus, de causa pœnarum propterea agi, quia agitur de causa satisfactionis. In ipsa enim pœnarum susceptione satisfactio est. Peccata vero satisfactionis esse causam, etiam scriptura indicat, cum ait, Christum esse traditum pro peccatis nostris. Liberationis autem, quæ per satisfactionem fit, aliam esse causam, nempe bonitatem divinam, superius diximus: atque id ipsum à Grotio tum hoc loco, quem Censor reprehendit, tum etiam cap. v. p. 101. clare explicatur. Nempe, ut istis in locis dicitur, aliud est quærere, cur Deus remittere nobis voluerit pœnas æternas: aliud, cur aliter, quam punito Christo, remittere eas noluerit. Utrumque distincte explicandum, non vero à Censore confundendum fuit.

Sed qui Grotium culpat, quia peccata statuat satisfactionis causam, videamus sane, quam ipse ejus causam esse arbitretur. *Procatarctica*, inquit, *meritoria causa satisfactionis est pretiosus Christi sanguis pro nobis effusus, quo satisfactum, sive satisfactio promerita est.* Dictio omnino durior: pro qua dixisse poterat, cujus merito satisfactio est acquisita. Sed de verbis non erimus solliciti: res ipsa sane quam inepta ac ridicula. Nam causa impulsiva satisfactionis impulit Christi voluntatem ad satisfaciendum. Sed sanguis Christi non impulit eum, ut satisfacere vellet. Causa impulsiva est causa antecedens. At sanguinis effusio non antecessit satisfaciendi voluntatem. Causa impulsiva & meritoria est causa externa. At sanguis Christi non est aliquid extrinsecum Christo. Etsi igitur sanguis Christi est illud, cujus merito Christus acquisivit nobis liberationem à

miseria, placationem Dei patris, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum: non idcirco tamen is impulit, vel promeritus est, ut vel Deus Christo imponeret pœnas nostras: vel Christus eas susciperet, & pro nobis pateretur, sanguinemque suum effunderet; quem admodum & pretium quod pro captivo solvitur, promeretur quidem liberationem è carcere: sed non impellit, aut meretur, ut satisfacere quis velit. Omnis error ex eo est, quod non distinxit causam procatarcticam meritoriam in ordine ad efficientem, & in ordine ad effectum ipsum. Quæ dum confundit, ea dicit, quæ manifeste contradictionem involvant. Nam si satisfactio est pretii seu pœnæ solutio: pretium autem pro peccatis persolutum, est sanguis Christi pro nobis effusus: sane pretiosi sanguinis effusio erit ipsa satisfactio. Hoc si est, qui dicit, pretiosum Christi sanguinem sive effusionem sanguinis esse causam impulsivam meritoriam satisfactionis, idem dicit, effusionem sanguinis impulisse & promeritam esse, ut sanguis Christi effunderetur: quomodo idem erit causa sui ipsius: quod ἄτοπον καὶ ἀνίατρικόν. Sed eo ineptiarum prolabi solent, quos illa prurigo tenet contradicendi etiam iis, quibus ob ingenium admirandum & eruditionem undecunque majorem, fasces submittere oportebat.

Post hæc fatetur morbo & debito assimilari peccatum: at sequi negat, ut morbus medicum ad curam; debitum, sponsorem ad sponsionem; sic peccata movere Deum ad misericordiam. Atqui peccatis Deum moveri ad misericordiam, nemo dicit, sed moveri iis ad pœnæ expetitionem, dicit Grotius. Quare cum umbra sua Censor luctatur. Nec enim de causa boni, quod obtigit nobis; sed de causa mali, quod Christo inflictum est, agit Grotius, cum de peccatis agit. Ad totius autem negotii explicationem, & mali hujus, & boni istius causas allatas, oportuit, ut satisfactionis, & eam secutæ liberationis natura explicaretur.

Ibidem contendit Censor, durius dictum videri, morbum esse impulsivam sanationis causam. Quamobrem vero? "Si, ait, morbus, qua morbus, impellit, cur non æque morbus bruti animalis, quam rationalis hominis "impellit extrinsecus medicum ad curam? Impellit igitur, "inquit, medicum extrinsecus dignitas creaturæ ad imaginem Dei conditæ; sive miseria dignissimæ illius & nobilissimæ creaturæ, in quam per morbum incidit. Sed his facile est occurrere. Nam qui hoc medico propositum esse

ait,

ait, ut morbum hominis depellat, idem ei propoſit imdicit, ut præſtantem illam naturam conſervet. Imo rectius morbus, quam natura, ad ſanandum impellere dicitur, quia ſi natura ut talis impelleret, jam in omnibus, qui ejuſdem naturæ ſunt, impelleret. At hoc non fit, quia, ut Salvator noſter ait, ſanis non opus eſt medico. Quemadmodum igitur homo riſibilis dicitur, non qua animal, quia alioquin omne animal riſibile foret; ſed qua rationalis, unde ſolum rationale riſibile eſt: ita natura hominis non impellit ad ſanandum, qua talis, quia alioqui etiam impelleret in ſanis; ſed qua morbida, cujuſmodi ſola exigit ſanationem. Unde illud Medicorum, Morbus exigit, natura permittit. Sed neque ſolius hominis natura medicinæ eſt objectum, verum etiam ignobilior illa beſtiarum, quando *Mulomedicinæ apud Græcos Latinoſque autores, non fuit cura poſtrema:* ut Vegetius ait, cujus de arte veterinaria quatuor libros habemus. Quemadmodum & quæ de eodem argumento Apſyrtus, Hierocles, Tiberius, Eumelus, Theomneſtus, Anatolius, aliique Ἱππιατρικῶν ſcriptores Græci ſcriptis conſignarunt.

CAP. XVI.

Oſtenditur, qua ratione Sociniani exponant particulam PRO & PROPTER, *cum Chriſtus pro peccatis, aut propter peccata noſtra mortuus dicitur.*

DE cauſis ſatisfactionis impulſivis ſatis dictum puto. Deinceps controverſiam Cenſor movet de ſignificatione particulæ PRO & PROPTER, cum Chriſtum pro peccatis noſtris, aut propter ea mortuum Scriptura teſtatur. Digna plane eſt hæc quæſtio, cui pauxillum inſiſtamus. Ergo tria hæc diſtincte agemus. Primum Socinianam ſententiam proponemus. Hinc eam refellemus. Denique reſpondebimus Ravenſpergero, qui hac parte prope à Socino abeſt.

Quæſtio igitur iſtiuſmodi eſt, utrum cum Chriſtus pro peccatis noſtris, aut propter ea mortuus dicitur, PRO & PROPTER ſignificent cauſam antecedentem, eamque meritoriam: an vero cauſam finalem. Poſſe peccata dici cauſam antecedentem mortis Chriſti, fateri videtur Socinus, cum Prælect. Theolog cap. xx. ait: " Propter peccata " per ſe nihil aliud unquam ſignificat, quam cauſa ſive oc- " caſione peccatorum. Quod ad locos apud Jeſaiam, dictio

Hebræa,

" Hebræa, quæ reddita est propter, est מן quæ non causam
" finalem, (quam vocant) sed efficientem declarat: ut nihil
" aliud ex Esaiæ verbis his colligi possit, quam Christum à
" peccatis nostris quodammodo occisum fuisse, id est, pec-
" cata nostra, Christi mortis antecedentem causam fuisse,
" non autem Christum mortuum esse, ut inde effectus ali-
" quis nostra peccata respiciens, consequeretur; ut certe
" necesse fuisset, si idcirco mortuus fuisset, ut vel pro pecca-
" tis nostris satisfaceret, vel in ipso quomodocunque pec-
" cata nostra punirentur. Eadem pene iisdem verbis legas
part. II. de Servatore cap. VII. ubi & inter alia inquit:
" Mori propter peccata, seu pro peccatis alicujus, nihil aliud
" est, quam causa sive occasione peccatorum illius mori.
Atqui occasio, si inter causas locum meretur, causa fuerit
antecedens ac impulsiva. Quare existimare aliquis possit,
etiam ex Socini mente peccata esse causam antecedentem,
nempe occasionalem. Sed quia occasio causæ non meretur
nomen, aut vix sane; eo alibi, (nisi contradicere sibi dicen-
dus sit) negat peccata esse causam mortis antecedentem.
Ut cum parte II. de Servat. cap. x. clare ait: " Christum à
" Deo turpissimæ & sœvissimæ morti traditum, ut ea ratio-
" ne nobis æterna salus compararetur: QUAMVIS NUL-
" LA PRÆTEREA ANTECEDENS CAUSA ES-
" SET, cur ille eam mortem perferre deberet. Nec est, quod
oggerat quisquam, voce DEBENDI necessitatem signifi-
cari. Nam universe antecedentem excludi, argumento est,
quod eodem cap. dixerat: " Ut quis vere puniri velit, non
" satis est, quod ipse puniri velit, nisi delictum aliquod
" commiserit, sic, ut alicui vere aliena peccata possint im-
" putari, non satis est ipsum ita velle, nisi imputationis an-
" tecedens alia digna causa subsit. Et eodem cap. disertim
scribit, aut nullam esse legitimam causam antecedentem
mortis Christi, aut eam esse, ut ipse Christus mortem sit
commeritus; quod blasphemum est. " *Addis*, inquit, Nul-
" la cum legitima causa. Quæ verba, cum de finali causa
" intelligi nequeant, de antecedente ut intelligantur, ne-
" cesse est. Unde apparet, te antecedentem aliquam legiti-
" mam causam mortis Christi, præter Dei & ipsius Christi
" voluntatem (quippe quod tibi, in Christũ morti tradendo
" Dei ipsiusque Christi voluntas satis esse non videatur)
" omnino statuere. Ea vero nulla alia esse potest, nisi quod
" Christus id meritus fuisset. Ex his satis liquet, jux-
ta mentem Socini, cum scriptura ait, Christum mortuum
esse

esse PROPTER PECCATA nostra, intelligi causam vere finalem; non antecedentem legitimam, qualis est causa meritoria. Sed cum Christus PRO PECCATIS mortuus dicitur, negat ullo pacto antecedentem vocari posse: quia etsi PROPTER nunc antecedentem, nunc finalem causam signet, PRO tamen semper indicet causam finalem. Verba sunt Socini Prælect. Theolog. cap. 20. "Sequitur, ut de dictione PRO videamus. Sciendum est autem, ubicunque "ea est, quod ad locos attinet, de quibus quærimus, ejus "loco dictionem PROPTER reponi potuisse: quod tamen propterea factum nō est, quia in illis locis dictiones "Hebrææ aut Græcæ ejusmodi erant, quæ nonnisi finalem "causam significare poterant: verum dictio PROPTER "non finalem tantum, sed efficientem quoque causam "significare potest: dictio autem PRO tantummodo finalem. Cum igitur scriptum legimus, Christum pro peccatis nostris passum & mortuum fuisse, intelligendum "quidem est, id propterea factum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens consequeretur, non tamen, "ut pro illis divinæ alicui justitiæ satisfieret, sed, ut dictum "est, ut nos à peccatis retraheremur, utque nobis fides "fieret, peccata nostra, si ipsi Christo obediremus, nobis "divina benignitate remissum iri, ac denique, ut remissionem peccatorum istam re ipsa, ejusque fructum sentire & "consequi possemus. Eadem iisdem pene verbis habet parte II. de Servatore cap. VII. Similiaque legas apud Valentinum Smalcium lib. de Christi divinitate cap. XI. Nunc hæc veritatis trutina expendamus.

CAP. XVII.

Superior Socinianorum interpretatio refellitur.

AC recte quidem Socinus, cum Christus ob vel propter peccata nostra mortuus dicitur, causam interdum antecedentem vocat: sed male intelligit causam καταχρηστικῶς dictam: meram puta occasionem, quæ secum trahat effectum ad hominem potius quam ad peccatum pertinentem. Nempe quasi sententia sit, peccata effeciisse, ut Christus nec mortem recusarit, quo homines à peccatis retraheret. Nam Catholica sententia est, peccata esse causam vere efficientem, ut Christus neque mortem recusaret, quo pro peccatis ipsis satisfaceret. Siquidem peccata merentur afflictionem per modum pœnæ: ut liquet ex Levit.

XXVI.

xxvi. 21. Deuteron. xviii. 12. & 1. Reg. xiv. 16. Pſal. xxxviii. 12. lxxii. 19. cvi. 17. & ſexcentis aliis Locis. Atque hic primus eſt Socini error, quod etſi interdum videatur peccata habere pro cauſa antecedente, tamen antecedentem legitimam, hoc eſt vere proprieque dictam, extra voluntatem, agnoſcat nullam: ideoque in ſola finali cauſa acquieſcat.

Alter error eſt de locutione illa PRO PECCATIS. Nam non tantum cum OB vel propter peccata, ſed etiam cum pro peccatis mortuus dicitur Chriſtus, ſignificatur cauſa efficiens, quia ſententia eſt, peccata noſtra effeciſſe, ut Chriſtus affligeretur: eoque particula *pro* non accipitur, uti ſi jubeamur vigilare pro animabus fratrum, ubi cauſa finalis ſive utilitas indicatur: ſed prope quemadmodum cum dicimur pati pro nomine Chriſti, hoc eſt, propterea quod nomen Chriſtianum profiteamur. Atque hoc inde etiam liquet, quia Chriſtus non ſimpliciter pro nobis mortuus dicitur, (quæ locutio quo minus utiliratem, vel vicariam ſucceſſionem in pœnam ſigner, minime repugnamus) ſed quod, ut peccator, vel pro peccatoribus mortem dicitur oppetiiſſe. Ita enim Iſai. liii. 6 legimus: *Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtri.* Rom. v. 6. *Pro impiis mortuus eſt.* 2. Cor. v. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur juſtitia Dei in illo.* Gal. iii. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno.* 1. Pet. iii. 18 *Paſſus fuit juſtus pro injuſtis.* Quemadmodum autem cum miles pro patria fortiter rem gerens occiditur, ut miles occubuiſſe, non ut ſceleratus, mortuus perhibetur, ac tum demum ſic de eo loqui poſſumus, ſi propter delicta ſua, vel aliena in ſe recepta, oppetat mortem: ſimiliter credendum eſt, Chriſtum peccatorum noſtrorum pœnam in ſe ſuſcepiſſe: quia non ſimpliciter pro nobis, ſed ut peccator, ſive pro peccatoribus mortuus dicitur. Sed quid opus eſt multis? Locutio illa *ob* vel *propter peccata*, vel *pro peccatis*, quoties perpeſſionibus jungitur, nec in ſcripturis, nec in idoneo quoquam ſcriptore finalem unquam, ſed ſemper antecedentem, eamque meritoriam ſignificat cauſam. Sane quamdiu contrarium exemplum obducet nemo, citius Herculi, quod ajunt, clava, quam hoc nobis argumentum de manibus extorquebitur.

Neque eſt, quod dicat aliquis, parum referre, utrum finalem, an efficientem meritoriam intelligi dicamus. Nam niſi,

nisi, quod de finali causa dicitur, restringatur ad impetrandam remissionem peccatorum: certe possunt hæ causæ majori distare intervallo, quam τὰ Μαῤῥᾶ καὶ Σιλοὰν ῥεύματα. Siquidem qui causam dicit finalem, non idcirco fatetur efficientem: quia non si Christus in bonum nostrum mortuus est, eo pœnas subiit pro nobis: cum alii esse fines mortis possint, quos Socinus agnoscit. At vero qui causam dicit efficientem meritoriam, is finalem & antecedentem comprehendit: ac primario quidem & directe antecedentem, secundario autem significat & indirecte finalem: nam si peccata nostra fecere, ut Christus afflictionem, tanquam pœnam peccatis nostris debitam, in se reciperet; consequitur, ut loco nostri sit punitus, eoque in gratiam ac bonum nostrum mortuus sit.

CAP. XVIII.

Occurritur iis, quæ de usu particularum PRO *&* PROPTER *à Ravenspergero dicuntur ad infirmandum argumentum, quod Grotius produxerat adversus Socinum.*

HActenus ostendimus particulam PRO in præsenti materia, ubi aliquis pro peccatis mortuus dicitur, non solum aliter, quam Socinus & congreges existimarunt, posse exponi: sed vero etiam firmum præbere argumentum ad stabiliendam Catholicorum, & evertendam Socinianorum sententiam. Nunc videamus, utris in hac palæstra aggregare se maluerit Ravenspergerus. Affirmare is veretur, verba istæc *pro peccatis, aut propter peccata, quoties adhærent perpessionibus, diversum à causa impulsiva sensum non recipere.* At cur, quæso, non audet, cum neque scripturæ sacræ, neque idonei ullius scriptoris loco, contrarium appareat: & Socini errorem nullo argumento facilius sit revincere? Cui nunc suppetias fert, cum eximio cuidam Theologo assentitur, qui verbis illis PRO PECCATIS aut PROPTER PECCATA utilitatem ait significari. Nam quid pro Socino aptius dici possit? Imo quid aliud est, quod urget Socinus, uti antea vidimus? Certum quidem est, ex eo quod propter peccata nostra mortuus sit Christus, redundasse ad nos utilitatem maximam. Sed non hoc quæritur: verum an locutione istac PRO PECCATIS primo ac directe utilitas significetur, aut causa finalis: quod merito cum Amplissimo Viro negamus. Nam finis semper habet rationem boni. Τὸ τέλος ἐστὶ φύσει ἀεὶ ἀγαθὸν:

ἀγαθὸν: ut inquit Philosophus lib. II. Eudemiorum cap. X. Malum vero culpæ simpliciter est malum. *Solum* enim *est peccatum, quod animæ nocet*: ut Euthymius ait in cap. XV. Matth. Εἶς θάνατος, ἡ ἁμαρτία, ψυχῆς γὰρ ὄλεθρος, ut Nazianzenus inquit, orat. in laudem patris. Quare & idem ille eximius, quem Censor indicat, Theologus, rectius alibi, ex probatis linguæ Latinæ scriptoribus ostendit locutione ea, PRO PECCATIS, causam significari impulsivam; uti illo Comici Andr. v. Sc. III. "An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam? "Et Eun. Act. v. Sc. IV. Ego Pol te pro istis dictis & factis, scelus, Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris. Similiterque Plautus, "Castigare pro commerita noxia: "Tullius, Supplicia pro maleficiis metuere, & alia alii. Idcirco, si tanti Censor putat, ut etiam juniores advocentur, sane & Otho Casmannus, in Antisocino suo, "PRO & PROPTER efficientem impulsivam, inque ea imputationem indicare agnoscit. Et Iacobus ad Portum adversus Ostorodium scribens, "Christus, inquit, "cum mortuus dicitur pro peccatis nostris, causa impul"siva mortis, nempe peccatorum nostrorum imputatio, "sine qua peccata nostra ipsi mortis causa existere non "potuerunt, denotatur. Et profecto, ubi voces istæ "pro peccatis, vel propter peccata, perpessionibus junctæ, alium habeant sensum, nec in scripturis, nec veterum scriptorum quoquam, uspiam arbitror inveniri. Ut autem finalem causam signent, plane à ratione abhorret. Nam peccator quidem est finis ϕ, at peccati remissio est finis ϑ: peccata vero ipsa neutro modo sunt finis: quia, uti dicebamus, causa finalis bonum est aliquod, peccata sunt malum omni modo. Quod autem dicat forte Censor, per peccata intelligere se expiationem vel remissionem peccatorum: hoc vere esset per opus diabolicum intelligere opus divinum. Atqui sapientis & sinceri veritatis patroni non est, ad istiusmodi καλάχρησιν confugere, quando non solum nulla exigit necessitas: sed etiam verba proprie accepta fortius munitiusque argumentum præbent ad adversarios refellendos.

CAP.

CAP. XIX.

Probatur contra Socinum & Ravenſpergerum, in loco Pauli ad Gal. II. 21, δωρεὰν non ſignificare privationem cauſæ finalis, ſed antecedentis. Coarguitur etiam gravis error Cenſoris, contendentis ea interpretatione firmari dogma Socini, quo Chriſtum eſſe mortuum ſtatuit, ut fieret objectum fidei N. T.

ABunde evicimus, cum Chriſtus pro peccatis, aut propter peccata mortuus dicitur, ſignificari cauſam impulſivam, eamque meritoriam: non cauſam finalem, ut credunt Sociniani, & cum illis Ravenſpergerus. Ex his vero multum lucis acceſſerit quæſtioni ſequenti: quæ eſt de verbis Paulinis Gal. II. 21. *Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus δωρεὰν eſt mortuus.* Ubi iterum Socino patrocinatur, non contra Grotium modo, ſed etiam virum illum eruditum, qui locum iſtum in Socinum torſerat olim: ut fatetur Socinus lib. II. de Servat. cap. XXIV. Socinus enim in ſuperiori Apoſtoli loco intelligi vult privationem cauſæ, non antecedentis, ſed finalis: ac tale cenſet eſſe Apoſtoli argumentum. Si per legem eſt juſtitia; ſane cum Chriſtus miſſus ſit ad vitæ emendationem hominibus, veniæ ſpe commendandam, jam finis ille nullus erit. Atque ita eluſit vim argumenti objecti ſibi à viro illo erudito, quem non nominat Socinus. At doctus ille vir hanc Paulini loci ſententiam eſſe ajebat: Si per legem eſt juſtitia, nihil fuit, quod requireret Chriſti pro nobis ſatisfactionem: quando pro innocentibus pœnalis ſatisfactio locum non habet. Hæc interpretatio & verbis & ſententiæ Apoſtoli examuſſim convenit. Δωρεὰν ita ſumi, negare Socinus non poteſt. At, inquit, illa vox *ſine cauſa* ſignificat. Non negatur id quidem, ſed qualis ſit cauſa, quæritur. Antecedentem ea voce removeri, liquet ex verbis Chriſti Joh. XV. 25. & illis Davidis, (quæ ſibi Chriſtus applicat) Pſal. XXV. 19. *Oderant me δωρεὰν*, hoc eſt, cum odii cauſas illis nullas præbueram. Proprietas vocis eodem nos trahit. Eſt enim à δῶρα, quod donum ſignificat. Donatio autem finales cauſas habet, antecedentes non habet, qua donatio eſt. Quanquam vero hæc ſatis ſint aperta, Cenſor tamen cum Socino δωρεὰν idem hic eſſe vult, quod fruſtra: nec cauſam impulſivam, ſed finalem eo removeri exiſtimat. At cur tandem? *Alioquin*, inquit, *infirmatur Apoſtoli argumentatio.* Sed toto errat cœlo. Sententia enim Apoſtoli

hæc

hæc est: Si ex lege est justificatio peccatorum remissiva, necessum non erat Christum mori propter peccata. At opus fuit, ut propterea moreretur. Nec enim legale pactum, sed solus Christi sanguis remissionem peccatorum poterat præstare. Unde scriptor commentariorum Ambrosio adscriptorum in superiorem Apostoli locum sic scribit: "Nil tamen apertum, quia si per legem potuisset homo justificari, Christum non oportuerat mori. Sed quia lex "dare remissionem peccatorum non poterat, idcirco Chri"stus mortuus est, ut ea præstaret, quæ lex non poterat: "ac per hoc non gratis mortuus est. Mors enim ejus justi"ficatio peccatorum est. Etiam Cajetanus ita Apostoli verba exponit: "Si per observationem legis tam in mo"ralibus, quam in judicialibus & ceremonialibus, justitia "hominis, qua justificamur, qua remittuntur peccata, "esset; haberetur justificatio remissiva peccatorum sine "morte Christi. Satis indicat uterque, hoc velle Apostolum, si ex lege justitiam ac remissionem peccatorum consequi possemus: nihil opus fuisse, Christum mori ob peccata nostra, morteque sua impetrare nobis peccatorum remissionem. Et tamen ait Censor, Apostoli argumentum infirmari à Grotio. Atqui si ficulna pugnat machæra, qui ita ratiocinatur, nonne idem locum habet, si dicatur, Apostolum hoc solum velle, mortuum esse Christum, ut impetret nobis remissionem peccatorum? præsertim cum hic finis constitui non possit, nisi insimul statuatur, peccata esse causam impulsivam mortis. Sane eodem recidit, seu dicas, Christum frustra esse mortuum, quia remissionem peccatorum ac justitiam non impetraverit nobis: sive dicas, nullam fuisse mortis causam antecedentem, hoc est, necessum non fuisse, ut Christus propter peccata nostra moreretur, si ex lege justitia haberi posset. Quare, si firmum est argumentum Censoris, fateri cogitur, infirmum esse argumentum Apostoli. Ergo illud Burdigalensis poetæ cogitet nunc secum Censor:

Tibi, quod intristi, exedundum est: sic vetus verbum jubet,
Compedes quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

Sed audiamus, quo pacto probet Apostolicum à Grotio argumentum infirmari. *Argumentatio*, inquit, *talis est: Si per legem est justitia, Christus frustra est mortuus. At Christus non est frustra mortuus. Ergo per legem non est justitia.* Verum istiusmodi esse argumentationem Apostoli, sumit sibi, non probat. Quare τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει, cum sic colligit:

git : Δωρεὰν est fruſtra, quia Apoſtolus dicit, ſi per legem eſt juſtitia, Chriſtus fruſtra eſt mortuus. Nam τὸ δωρεὰν rectius transfertur *ſine cauſa*, quam *fruſtra*: ut optime monet Clariſſimus Beza, probante etiam hanc expoſitionem Dominico Soto in IV. Sentent. diſtinct. 11. quæſt. 1. artic. 4. Removetur enim ab Apoſtolo cauſa antecedens: ut liquet ex iis, quæ ſupra diximus. Quare nos dicimus, ita potius argumentari Apoſtolum, Si per legem eſt juſtitia, nulla erit cauſa antecedens, ob quam Chriſtus moreretur. At cauſa aliqua eſt antecedens. Non eſt ergo per legem juſtitia. At, inquit, Cenſor, *quamquam ex lege & ejus obſervatione juſtitia eſſet* (etiamſi ex lege eſſet, dictum oportuit, ſi vellet intelligi) *poſſet tamen eſſe cauſa antecedens mortis Chriſti alia, & ſi Socino credimus, hæc unica, ut fœdus viamque ſalutis morte ſua confirmaret, utque nos fidem in Jeſum Chriſtum haberemus*. Hoc quod ait, & ipſi & Socino, cui auxiliares manus præbet, plurimum nocet, & eam, quam Grotius poſuit, interpretationem ſtabilit. Nam quo Chriſtus eſt miſſus ad fœdus confirmandum, finalem cauſam ponit, non antecedentem. Quare recte contra Socinum argumentatur vir ille eruditus, apud Socinum de Servat. part. II. c. XXIV. "Paulus qui juſtitiam "ex lege proficiſci non poſſe, oſtendere volebat; ſi dixiſſet, "alioqui Chriſtum fruſtra, vel ſine cauſa mortem ſubiiſſe, "nihil egiſſet. Potuiſſet enim illi reſponderi; quamvis per "legem ſit juſtitia, non tamen Chriſtum fruſtra vel ſine "cauſa mortem ſubiiſſe. Mortuum namque eum fuiſſe, ut "nos ad ipſam legem ſervandam, reſurrectione deinde "conſecuta magis accenderet, fide videlicet immortalita-"tis facta, quam adepturi ſint ii, qui legem ſervaverint. Optime, neque potuit hinc ſe extricare Socinus, ut illud ſuum interpretamentum, quo δωρεὰν fruſtra exponit, defenderet, niſi dicendo Paulum pro confeſſo ponere, Chriſtum juſtitiam conſequendi viam docuiſſe longe à via legis diverſam. Hoc autem quomodo confeſſum fuerit apud Galatas pro legis obſervandæ neceſſitate certantes, plane non video. Imo id ipſum potius erat, quod inter Apoſtolos, & illos Chriſtianos Iudaizantes, præcipue diſputabatur. Ergo pro eo, quod dicit Cenſor, infirmam eſſe conſequentiam, ſi δωρεὰν idem eſſet, quod ſine cauſa antecedente, ego verius & rectius dicam, infirmam fore conſequentiam, ſi δωρεὰν idem ſit quod fruſtra. Nam plures cauſæ dari poſſunt, quarum ergo Chriſtus ſit mortuus, etiamſi ex lege eſſet juſtitia; puta ad dandum patientiæ, humilitatis & obedientiæ

dientiæ exemplum; at nulla alia causa antecedens. Et ipsa ἱλασμὸς, quam adfert Censor, ad finalem, non ad antecedentem pertinet causam: quod mirum est à Censore non visum, qui in Amplissimo viro ea quoque videt, quæ non sunt.

Nec contentus genuinam hanc interpretationem negare, quæ vocis proprietatem pro se habet: etiam altius supercilium tollit, & orthodoxam negare audet gravis Censor. Quod ut credibile faciat, ridicule adeo turpiterque se dat, ut multum quidem ejus miserear: sed magis tamen misericordiam sui commoturæ sint Ecclesiæ nostræ, si unquam talibus definitoribus credere cogantur, quid sit orthodoxum, quid hæreticum. Sed nolo tanquam unguis esse temporibus satis exulceratis. Quare hoc agamus. Ait igitur Censor: "Interpretationem illam, Christus ἀφρεὰν, "id est, sine antecedente causa est mortuus, non satis esse "orthodoxam, nisi caute admodum & commode explice-"tur. Nam inquit, accedit prope ad errorem Socini, non "justificatos esse Patres in V.T. fide in Christum, sed fide "in Deum. Cui commento, ut ait, interpretatio Grotii "probe subservit. Quid si esset, ut Grotiana interpretatio vocis & ab hæretico ad hæreticum sensum, & à Catholico ad Catholicum posset accommodari: an idcirco falsa esset talis alicujus vocis explicatio? Et hæc ab eo dici, qui verba Apostoli ita plane interpretatur, ut facit Socinus? Nam Socinus finalem causam amoveti ait: quod Censor concedit. Idem Socinus de antecedenti causa agi negat, non facturus, si id sententiæ ipsius inserviisset, acutissimus disputator. Sed cor Zenodoti audiamus. "Si ex lege, hoc est ex "fœdere legali, quod Deus per Mosem dedit, est justitia, "fruſtra, id est absque causa antecedente, Christus est mor-"tuus. Nam si per fidem, quæ in fœdere legali erat tantum "in Deum, nos sub N. fœdere justificari debuimus, quid "movit Christum, ut mortem subiret, si inquam morte sua "non obtinuit, ut fides etiam ipsum respiciat? Quid facias homini isti, qui cum ita argumentatur, non videt in suum se mucronem incurrere, proque Grotio pugnare apertissime? Nam qui Christum esse mortuum dicit, ut morte sua obtineret, esse objectum fidei: is causam finalem, non antecedentem adfert. Mirum, quoties ipse faciat id, cujus Amplissimum virum accusat, ut Socino ferat suppetias, sed inutiles. Pergit mox, *Finis mortis Christi fuit, ut nobis meretur remissionem peccatorum.* Verum dicit; atque

id

id ipsum ab Amplissimo Viro cap. 1. P. 36. abunde est demonstratum. Sed nec minus verum est, fatente Censore, causam impulsivam sive ἀφορμὴν προκλητικὴν mortis Christi, qua pœna est, fuisse peccata nostra. Cur ergo hunc sensum rejicit, cum tamen vox διὰ proprie removeat causam antecedentem?

CAP. XX.

Ostenditur contra Censorem, non detrahere pretio mortis Christi, qui eam brevi momento peractam dixit.

A B loco illo Apostoli accedit Censor ad illa Grotii verba: *Exemplum sanctimoniæ, tota vita Christi præbuit magis, quam mors ipsa, quæ brevi momento peracta est.* Iis censuram iltiusmodi apponit: *Illa num Theologi vox sit, Christi mors brevi momento peracta est, ipsius Dn. Grotii, postquam rem accuratius in timore Domini perpenderit, arbitratus esto.* Sed quod de brevi momento objicit, hoc parvi sane, vel nullius potius momenti esse scimus. Nec primus tamen in notione hujus vocis errat Ravenspergerus, in qua jam ante seculum à Badio notari meruit Vallensis. Non utar patrocinio Accursii, qui Imp. Constantinum ad Proclum (Cod. lib. VIII. Tit. LIII.) voce ea uti censet pro *tempore, quo roboratur consuetudo, scilicet annorum*: de momento enim non temporis, sed ponderis loqui censeo Imperatorem. Neque item ad partes advocabo eruditissimum Rob. Stephanum, qui scribit, "Momentum esse qua-"lecunque spatium temporis, & qualecunque pondus, "seu magnum, seu parvum: neque enim repugno, quo minus momentum, quoties de tempore usurpatur, breve semper spatium notet. Tantum dico, non semper, imo nec proprie signare punctum temporis. Nam Latini veteres usurpant de tempore longiusculo, si in se spectetur: sed brevi, ratione reliqui temporis, quicum instituitur collatio. Exempli gratia, Dig. Lib. XLVII. Tit. X. sic scribit Ulpianus: "Tantum ad me-"ritoria, vel stabula non pertinebit, cæterum ad hos per-"tinebit, qui inhabitant non momenti causa, licet ibi do-"micilium non habeant. At sane in diversoriis, non dico horis, sed etiam ut diebus aliquot negotiantes morentur, sæpe usu venit? Quod omne tempus tamen, momenti appellatione à Iurisconsulto censetur, quia id confert cum tempore, quo istic habitamus, ubi proprie domi-

domicilium habemus, nec hospitio excipimur alieno. Sic Cod. lib. III. Tit. XII. Constantinus ad Elpidium scribit: "Omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium "officia, venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi, "agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam "frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, "aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti "pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Ubi momentum pro diei Dominicæ tempore dici, etiam Accursius observat. Nempe de brevi momento, longoque tempore verum est, quod de magno & parvo, multo & pauco Philosophus dicit lib. Categor, cap. VI. ubi ea contraria esse negat, quando ad diversa fit relatio: quomodo (ut Philosophi ipsius utar exemplis) mons parvus, milium magnum nominatur: atque Athenis pauci, in ædibus multi esse dicuntur. Similiter Vir Amplissimus, cum brevi momento Christi mortem peractam dixit, locutus est comparate ad vitam, quam constat plusquam triginta fuisse annorum. Nam trigesimo quinto ætatis suæ anno, qui æræ Dionysianæ est tertius supra trigesimum, passus Servator noster fuit. Imo si vel soli anni prædicationis Christi sumantur, merito mors ejus, etiam sumpta cum omnibus προπαθείαις, momenti vicem obtinebit: quippe cum inter cœnam & exspirationem dies unus civilis minime intercesserit. Quare absit, ut vir Ampl. pretium mortis Christi extenuet, cujus dignitatem fortiter asserit. Sed vere contra Socinum (cui rursum opitulatur Censor) dicit, vitæ, quam mortis à vita distinctæ, aptius & convenientius fieri mentionem, ubi agitur de exemplis sanctimoniæ, cum hæc per omnia se officiorum, quæ Deo hominibusque debentur, genera extendat. Adde jam, quod totum illud spatium, quod post cœnam exspirationem Christi antecessit, sicut μετωνυμικῶς mortis nomine appellatur, ita proprie ad vitam pertinet.

CAP. XXI.

Notatur error Censoris, concedentis Socino in loco Petri I. ep. II. 24. ἀναφέρειν interpretandum auferre, atque ita insigne Catholicæ veritatis testimonium eripientis pugnaturus adversus Socinum.

ACcedo ad locum Petri I. epist. II, 24. Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, Ubi τὸ ἀναφέρειν vel est perferre, quomodo ἀναφέρειν κινδύνους legimus

gimus apud Thucydidem: vel in propria notione accipitur, ut ἀναφέρῃν sit ἄνω φέρειν, quod est sursum ferre, atque, ut Catullus & alii veterum loquuntur, sustollere: unde Theodorus Beza, Nicholaus Serarius, atque alii, verti posse ajunt, *Qui in corpore suo peccata nostra sustulit in lignum:* Socinus tamen part. II. de Christo Salvat. cap. VI. pertendit, ἀνήνεγκεν omnino *abstulit* verti debere: uti factū in illis verbis Hebr. IX. 28. "Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν. Quæ sic transtulere Erasmus & Beza: *Ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret; rursus* (sive altera vice) *absque peccato conspicietur iis, qui ipsum exspectant.* Ubi *tolleret*, explicat *auferret*. Morte autem Christi peccata nostra auferri, ubique agnoscit: non quidem, quod is pro peccatis nostris pœnas solverit, Deoque satisfecerit; sed quia, (ut passim in libro declarat) maximopere nos de veritate doctrinæ Evangelicæ id ipsum confirmet, quod ad testimonium ei perhibendum non recusaverit mori: quod item morte sua nobis patientiæ & obedientiæ præbuerit exemplum: tum autem, quod moriendo sit consecutus remittendi nobis peccata potestatem: ac denique quia mors, quatenus eam consecuta est resurrectio & in cœlum ascensus, veritatem doctrinæ ab eo prædicatæ testatam facit, ac quale pietatem & sanctimoniam maneat præmium, clare ob oculos ponit. Concludit igitur Socinus (ut ejus ex argumento capitis verba retineam) in loco Petri *nec verbis, nec sententia dici, Christum suo corpore peccatorum nostrorum pœnas sustinuisse.* Similiter interpretatur Socini discipulus, Valentinus Smalcius, lib. quem de divinitate Christi inscripsit cap. XI. "Christus moriens abstulit in "corpore suo peccata nostra in lignum: quia scilicet ex "ipsa Christi morte, & ea interveniente, ex potestate, quam "per mortem suam Christus consecutus est, colligimus, "nos peccatorum nostrorum pœnas nullas luituros: sed "tandem eorum remissionem plene & re ipsa consecuturos. Quomodo autem hoc ex Christi morte colligatur, dixerat paulo ante. Summa eo redit, cum Catholicis auferre peccata, sit peccari meritum sive reatum tollere pœnas ferendo; Socino, & sibi auferre peccata nihil esse aliud, quam retrahere à peccatis, atque ita reatum auferre. Ad hujus interpretationis suæ confirmationem, illud etiam adfert Socinus, quod Petrus, in loco ante citato, propositum non habeat, commendare satisfactionem Christi.

sed

ſed virtutes ejus, ac patientiam imprimis, unde exemplum capere omnes poſſimus.

Sed cuncta hæc Grotius umbone fortiter repellit. Primum ait ἀναφέρειν nuſpiam accipi pro auferre: cujus verba, ſi τὴν Ἀθηνᾶς λόγον ſibi eſſe negat; ſane nec nudam ſuam affirmationem, folium Sybillæ eſſe nobis ſciat. Ergo æquum eſt, laborē probandi ſumat, ſic ab idoneo quoquam ſcriptore uſurpari. Præterea de Petri loco reſpondet Grotius, non agi de ablatione pœnæ ſimpliciter, ſed de ablatione per modum ſatisfactionis. Quod ita eſſe, inde colligit, quia ſermo eſt de patientia: hæc autem in ferendo, non vero immediate auferendo oſtenditur. Quare Apoſtoli mens erit, Chriſtum peccatorum noſtrorum onus bajulaſſe: atque ita proprie & per ſe non liberationem ipſam tradit, ſed liberationis cauſam, hoc eſt ſatisfactionem ſive ſolutionem pro peccatis, cujus fructus eſt ablatio peccati. Porro apud divinum ſcriptorem ad Hebræos ἀναφέρειν non pro auferre, ſed ſurſum ferre, uſurpari, eo evincit, quia ἀντίτυπον inſtituat inter primum Chriſti adventum & ſecundum, ac diſertim dicat, adventurum Chriſtum χωρὶς ἁμαρτίας: ubi ſi *abſtulit*, vertas, nulla erit oppoſitio; quæ manifeſta erit, ſi hunc in modum exponas: Qui prius peccata noſtra in crucem tulit, ſive in corpore ſuo bajulavit.

Hæc cum Petri locum non ſolum vindicent ab interpretamento Socini, ſed etiam non poſſe aliter accipi oſtendant: tamen perfunctorie à Grotio refutari Socinum, bis ait Ravenſpergerus. Et hæc is dicit, qui ipſe Socinum non refutat, ſed refutantibus arma eripit. Cum enim in eo cardo rei vertatur, an cum Chriſtus Petro dicitur ἀνενεγκεῖν noſtra peccata, ea vox ferre ſignifioet, an auferre: Socinus interpretatur auferre: atque in hoc ei Cenſor accedit, cum tamen interpretatio ea non lædat Socinum. Nam ablata eſſe à Chriſto peccata, ſæpius agnoſcit. Negat autem, ferendo abſtuliſſe. Atqui hoc eſt, quod nos docet Petrus. Ergo, cum à Grotio ſtet verbi proprietas; Socinus, & qui manibus pedibuſque in ejus ſententiam diſceſſit, Ravenſpergerus, probare uterque debuerunt, ſic unquam hoc verbum uſurpari. At, inquit Cenſor, *Etſi Petrus reſpectu effecti, verbo utatur removendi aut auferendi, nullam tamen hinc contra nos proferre poterit Socinus demonſtrationem. Conſtituto enim effectu, nulla ſit abnegatio cauſæ; ſed neceſſario plane ſubintelligitur.* Hæc vere quidem à Cenſore dicuntur, ſed hoc loco (quod pace ejus dixerim) inſulſe adferuntur. Non enim Socinus Petri verbis

verbis contra nos pugnat primario, sed nos contra Socinum. Prior enim Covetus produxerat, atque in eo (ut initio capitis Socinus ait) *posuerat maximum sua sententia fundamentum.* Ita vero Petri locum citârat: *Eadem ratione dicit Petrus Prioris* II. *Christum passum esse pro nobis, & peccata nostra in corpore suo super lignum pertulisse.* Socinus hoc in Petro haberi negat. Abstulisse enim Christum peccata, non pertulisse dici ait, lib. II. cap. VI. Hoc Socino concedit Ravenspergerus: quod qui facit, nonne præclarum testimonium eripit firmandæ veritati? Sed si is tam liberalis est, nos sane non erimus. Nam quid opus, cum doceri non possit, eam esse, quam Socinus vult, & Censor concedit, vocis ἀναφέρειν significationem; Hæc cum per se clara sint apertaque, tamen quærit ab Amplissimo viro: ut sane ἀναφέρειν significaret ferre, an quia Christus tulerit peccata, consequi putet, non abstulisse? Hoc scilicet rogandus erat, qui toto opere docet, Christum & tulisse peccata, & ferendo abstulisse. Aut id ostendendum fuit, ablata esse à Christo peccata, quasi id quisquam, aut etiam Socinus neget. Et tamen Censor hoc comprobandi suscipit laborem: quod quid aliud est, quam λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν, inaniaque verba funditare, ut mortuaria glossaria, quemadmodum de Philosophis M. Cato ajebat? Nempe non rem negat Grotius, sed hoc negat ista voce significari: quod si concedamus cum Censore, jam non recte eo loco pugnabimus. Nam quod dicit, *nisi Christus peccata nostra in se recepisset, non abstulisset:* id nullam contra Socinum vim habet. Est enim petitio ejus, quod in principio est. Quare ex vocis significatione, non ex tali præsuppositione, (quæ vera quidem est, sed ab ipso non agnoscitur) convincendus est adversarius. Qui ita Socinum refutat, non perfunctorie refutat, ut Grotium agere falso ait, sed plane nihil agit. At, inquit, dictum à Grotio oportuit, non si Petrus dicat, Christi mortem præbere nobis patientiæ exemplum, consequi inde, non alios ejus mortis fructus esse. Sæpius enim plures esse unius rei fines: atque illud locum hic habere, quia mors Christi non tantum sit imitationis exemplum, ut Petrus testatur: sed etiam satisfactio pro peccatis, unde redemptionis pretium dicitur, Matth. xx. 28. & sacrificium expiationis, Hebr. 9. 26. 28. & x. 10. 14. Atque istoc quia non dixit hoc loco Grotius, in acutos reprehensoris murices incurrit. Sed vidit vir ille acutissimus, hoc qui dicat, respondere Socino, non Socinum argumentis urgere, quod

hic faciendum est. Noster enim est locus ille, à Coveto & nostris in Socinum tortus. Esse vero plures fines & scit, & agnoscit, & ostendit Grotius, tum hic, tum p. 142. ubi apertissime explicatur, quomodo satisfactio excludatur patientiæ exemplo.

CAP. XXII.

Cur probato opus sit, pœnam in bestias cadere, vera contra Censorem causa adferuntur.

NEc in hoc uno, sed subinde accidit Censori, ut argumentantis & respondentis partes non discernat: quemadmodum ex istis etiam planum fiet, quæ nunc dicemus. Ferre peccata esse pœnam ferre, multis scripturæ locis Catholici evincunt. Sed negat Socinus, hanc esse perpetuam ejus locutionis significationem. Profert locum de hirco expiatorio ex Levit. XVI. 22. ubi is dicitur peccata populi ferre: quæ, si Censorem audimus, non perferat, sed auferat duntaxat. Hic negat Grotius, à recepta verborum interpretatione recedi debere. Cum vero objici possit, pœnam in bestiis locum non habere: ut huic argumento obviam iretur, ostendi opus fuit, falso id sumi. Est ergo hic ἀνθυποφορὰ, non autem ratiocinatio hujusmodi, qualem sibi fingit Censor: Si pœna generatim sumpta etiam in bestias cadit, utique hircus expiatorius vere pertulit peccata populi. Mox idem cum Grotio fatetur, hircum peccata populi, hoc est, peccatorum pœnas pertulisse: sed negat, fundamentum ejus rei esse, quod etiam bestiæ puniantur. Nos contra dicimus, hoc fundamentum poni debere, non quidem, ut eo alterum probetur, sed ne improbetur. Quemadmodum enim non si quid sentiat, idcirco homo erit; sed tamen, nisi sentiat, homo non erit: ita non si in bestia pœna habeat locum, eo pœnam hominis perferat, sed tamen, nisi illa in eas cadat, jam pœnas perferre non possit. Quod vero subjungit, hircum illum expiatorium, de quo Levit. XVI. agitur, typum ac figuram fuisse Christi, pœnas ferentis peccatorum nostrorum: id etiam Grotius fatetur: sed, quod Censor non attendit, argumento ex isto Levitici loco pugnare contra Socinum non licet. Nec enim ille figuram hujusmodi agnoscit. Aliis igitur scripturæ testimoniis probari illud debet, quæ pag. XIV. & deinceps à Grotio adferuntur.

CAP.

CAP. XXIII.

Ostenditur Vetus Testamentum proprie & directe, carnalia ac temporalia, sed in figura promittere spiritualia ac aterna.

HInc illa aggreditur, quæ disputaverat Grotius de ἀναλογία inter veteris Testamenti victimas, & sacrificium Iesu Christi. Habet ea res disquisitionem non utilem minus, quam jucundam: sed profecto palato Censoris nihil sapit, quod antea sibi appositum non meminit. Videamus tamen, an hac etiam parte ὄψιν illi facere possimus. Veteri populo, si custodire Dei statuta, nec in gentium viis ambulare vellet, carnalia ac temporalia promitti, multa scripturarum loca ostendunt. Ut Levit. xx. 24. *Ut hæreditate possideatis istam terram fluentem lacte & melle.* Et xxvi. 3. *Si in decretis meis ambulaveritis, & præcepta mea servaveritis, & feceritis ea, dabo pluvias vestras tempore suo, dabitque terra fructum suum, & arbores agrorum dabunt fructum suum, apprehendetque vobis tritura vindemiam*: & quæ deinceps sequuntur. Item Exod. xiii. 26. Deuter. iv. 5. 22. 26. 40. & vii. 13. 14. 15. 16. 23. xi. 8. 9. 10. Is. i. 19. Agg. ii. 20. Malach. iii. 10. &c. Quanquam vero hæc rei temporalis & caducæ promissio foret; non tamen existimare oportet, Iudæos ad terrestrem duntaxat vitam fuisse saginatos, grundilis instar pecoris, cui animam pro sale datam esse, Chrysippus, & ex eo Varro, dicebant. Nam sancti, ut optime inquit Radulphus, per spiritum edocti, hanc vitam ad terram viventium in cœlis referebant: uti ille, qui canebat Ps. 26. (al. 27.) vers. 33. *Credo videre bona in terra viventium.* Et Tobias cap. ii. 18. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Terrestria igitur promittebantur, sed per ea significabantur æterna ac cælestia. Quo pertinet illud effatum divini scriptoris ad Hebr. x. 1. *Lex umbram habuit futurorum bonorum.* Item quæ de spe meliori facta per Christum, deque Christo, melioris testamenti sponsore, dicuntur ejusdem epist. cap. vii. 19. 21. Nempe lex divina bifariam spectatur, carnaliter & spiritualiter: carnaliter quidem, qua instrumentum erat carnali populo ordinatum ad temporale bonum: spiritualiter autem, quatenus spiritu Dei præditis, sub carnalium rerum typis, cœlestia promittebat. Hæc ipsius Augustini sententia fuit, quod quia parum verisimile iis videtur, qui juniores ejus mentem semper assecutos putant; luculenti hujus

ſcriptoris pluſcula congeſſimus. Sic igitur ille T.2. epiſt. CXX. ad Honoratum: " Volens Deus oſtendere, etiam ter-
" renam temporalemque felicitatem ſuum donum eſſe, nec
" aliunde, niſi ab ipſo, ſperari oportere, præ omnibus ſe-
" culi temporibus diſpenſandum judicavit Teſtamentum
" vetus, quod pertineret ad hominem veterem, à quo iſta
" vita neceſſe eſt incipiat. Sed illæ felicitates patrum, Dei
" beneficio conceſſæ prædicantur, quamvis ad iſtam vitam
" tranſitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in
" manifeſto promittebantur, & tribuebantur. In occulto
" autem illis omnibus rebus Novum Teſtamentum figu-
" rate prænunciabatur, & capiebatur intelligentia pauco-
" rum, quos eadem gratia prophetiæ munere dignos fece-
" rat. Nam & quando temporalem felicitatem agebant;
" & æternam, veram & præferendam intelligebant: &
" iſtam miniſtrabant in myſterio, ut illam conſequerentur
" in præmio.

Idem T. 4. quæſt. ſuper Exodum, qu. XCII: Quam-
" vis iſtæ promiſſiones poſſint & ſpiritualiter intelli-
" gi, tamen cum ſecundum temporalem hominum fe-
" licitatem intelliguntur, ad vetus Teſtamentum per-
" tinent: ubi quanquam præcepta, exceptis his, quæ
" in ſacramento aliquid ſignificant, eadem ad mores bo-
" nos pertinentia reperiantur, promiſſiones tamen car-
" nales atque terrenæ ſunt. Unde in Pſal. LXXII. pene
" lapſos & effuſos greſſus ſuos homo Dei dicit, cum
" zelaret in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.
" Ea quippe cernebat abundare impiis, quæ ipſe ſe-
" cundum Teſtamentum vetus exſpectabat à Domino
" Deo, cui hac mercede ſerviebat. Et cum hinc ei ſub-
" repere cœpiſſet ſenſus impius, quod Deum non curare
" exiſtimaret humana, correptum ſe dicit, dum auctorita-
" tem ſanctorum non eſt auſus improbare, & incepit co-
" gnoſcere, & ait: Hoc, labor eſt ante me, donec introeam
" in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſima. Ibi enim
" præmia dabuntur ad novum pertinentia Teſtamentum,
" quæ impii non accipient: & pœnæ tunc futuræ ſunt im-
" piorum, quas nullus piorum ſenſurus eſt.

Idem Auguſtinus T.4. expoſ. epiſt. ad Gal. cap. III.
" Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, vivet in il-
" lis. Non ait, qui fecerit eam, vivet in ea: ut intelli-
" gas legem in hoc loco pro ipſis operibus poſitam. Qui
" autem vivebant in his operibus, timebant utique, ne,

ſi

" si non ea feciſſent, lapidationem, vel crucem, vel ali-
" quid hujuſmodi paterentur. Ergo qui fecerit ea, in-
" quit, vivet in illis : id eſt habebit præmium, ne in
" iſta morte puniatur : Et poſt aliqua : Qui omnino
" non juſtificatur, nec illa ſervat, quæ temporale ha-
" bent præmium; nec illa, quæ æternum. Qui autem
" in operibus legis juſtificatur, non apud Deum ju-
" ſtificatur, quia temporalem inde exſpectat viſibilem-
" que mercedem. Sed tamen eſt etiam iſta, ut dixi, quæ-
" dam, ut ſic dicam, terrena carnaliſque juſtitia: nam
" & ipſe Apoſtolus eam juſtitiam vocat, cum alibi dicit:
" Secundum juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus qui
" fuerim ſine querela.

Idem in ejuſdem epiſt. expoſ. cap. VI. " Manifeſtum eſt
" etiam illam ſcripturam, quæ priori populo data eſt, legem
" Chriſti fuiſſe, quam venit implere charitate, quæ non
" implebatur timore. Eadem igitur ſcriptura & idem man-
" datum, cum bonis terrenis inhiantes premit ſervos, Te-
" ſtamentum vetus: cum in bona æterna flagrantes erigit
" liberos, Teſtamentum novum vocatur.

Idem lib x. de Civ. Dei. c. xv. " Hæc lex cum diſtri-
" butione temporum data eſt, quæ prius haberet promiſſa
" terrena, quibus certe ſignificarentur æterna, quæ viſibili-
" bus ſacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci.

Idem lib. XVIII. de C. D. cap. XI. " Educto populo
" in monte Sina (Moſes) divinitus acceptam tradidit le-
" gem: quod Vetus dicitur Teſtamentum, quia promiſſio-
" nes terrenas habet: & per Ieſum Chriſtum futurum fue-
" rat Teſtamentum novum, in quo regnum cœlorum pro
" mitteretur. Hunc enim ordinem ſervari oportebat, ſicut
" in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur,
" quod ait Apoſtolus, ut non ſit prius quod ſpirituale eſt,
" ſed quod animale, poſtea ſpirituale, quoniam ſicut dixit,
" & verum eſt: primus homo de terra terrenus: ſecundus
" homo de cœlo cœleſtis.

Idem T. 6. lib. IV. contra Fauſtum Manich. cap 11. " Tem-
" poralium quidem rerum promiſſiones Teſtamento veteri
" contineri, & ideo vetus Teſtamentum appellari, nemo
" noſtrûm ambiget, & quod æternæ vitæ promiſſio, re-
" gnumq; cœlorum ad novum pertinet Teſtamentum: ſed
" in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorũ, quæ imple-
" rentur in nobis, in quos finis ſeculorum obvenit, non ſu-
" pitio mea, ſed Apoſtolicus intellectus eſt, dicente Paulo,

" cum de talibus loqueretur, hæc omnia figuræ noſtræ fue-
" runt, &c. Et poſt pauca: Non itaque ſpes noſtra in tem-
" poralium rerum promiſſione defixa eſt, quandoquidem
" nec ipſos illius temporis ſanctos & ſpirituales viros, Pa-
" triarchas, & Prophetas, his terrenis rebus fuiſſe deditos
" credimus, Intelligebant enim, revelante ſibi ſpiritu Dei,
" quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per
" illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda & præ-
" nuncianda decerneret, magiſque deſiderium eorum de
" novo Teſtamento erat, ſed præſens functio corporalis ad
" ſignificanda nova futura pollicitationibus veteribus præ-
" bebatur. Ita illorum hominum non tantum linguâ, ſed &
" vita prophetica fuit. Carnalis autem populus promiſſis
" vitæ præſentis inhærebat. De quo tamen etiam populo
" nihilominus ſignificabantur futura.

Idem contra eundem lib. XIX. cap. ult. " Denique quod
" non temere dixerim, neſcio utrum quiſquam in illis li-
" bris invenit nomen regni cœlorum, quod tam crebro
" nominat Dominus. Dicit quidem ibi, Diligite ſapien-
" tiam, ut in æternum regnetis. Et ipſa vita æterna, ſi non
" illic in manifeſto prædicaretur, non diceret Dominus
" etiam malis Iudæis, Scrutamini ſcripturas, in quibus pu-
" tatis vos vitam æternam habere, ipſæ teſtimonium per-
" hibent de me. Quo enim niſi ad hoc pertinet, quod ibi
" ſcriptum eſt? non moriar, ſed vivam, & enarrabo opera
" Domini. &, illumina oculos meos, ne unquam obdor-
" miam in morte: &, Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt,
" & non tanget illos tormentum: &c. Proinde teſtimonijs
" vitæ æternæ, & reſurrectionis mortuorum abundat illa
" ſcriptura: ſed hoc nomen, id eſt regnum cœlorum, de
" nullo inde loco mihi occurrit. Hoc enim proprie per-
" tinet ad revelationem novi Teſtamenti: quia ea corpo-
" ra, quæ terrena fuerant, mutatione illa, quam Paulus
" apertius commemorat, in reſurrectione fiant ſpirituа-
" lia, ac per hoc cœleſtia, in quibus poſſideamus regnum
" cœlorum.

Idem T. 6. contra adverſ. Legis & Prophet. lib. 1. c. XVII.
" Quamvis in Vet. Teſt. propter temporalium bono-
" rum promiſſionem, malorumque comminationem, ſer-
" vos pariat temporalis Hieruſalem: in novo autem, ubi
" fides impetrat charitatem, qua lex poſſit impleri, non
" magis timore pœnæ, quam dilectione juſtitiæ liberos pa-
" riat æterna Hieruſalem: tamen & illis temporibus fue-

runt

"runt justi spirituales, quos non occidebat litera jubens,
"sed vivificabit spiritus juvans.

Idem T.7. lib.1. de baptismo contra Donatistas cap.xv.
"Ex ipso animali sensu, quia homo animalis non percipit,
"quæ sunt spiritus Dei, omnes dissensiones & schismata
"generantur. In quo sensu, perseverantes Apostolus dicit
"ad Vetus Testamentum pertinere, id est, ad terrenorum
"promissorum cupiditatem, in quibus quidem spiritua'ia
"significantur, sed animalis homo non percipit, quæ sunt
"spiritus Dei. Quocunque ergo tempore tales homines esse
"cœperint in hac vita, jam divinis pro seculorum distri-
"butione sacramentis imbuti, si adhuc tamen carnalitet
"sapient, & carnalia de Deo, sive in hac vita, sive post hanc
"vitam, sperent atque desiderent, animales sunt. Ecclesia
"vero, quod est populus Dei, etiam in istius vitæ peregri-
"natione, antiqua res est, in aliis hominibus habens ani-
"malem portionem, in aliis autem spiritualem. Ad ani-
"males pertinet vetus Testamentum, ad spirituales no-
"vum. Sed primis temporibus utrumque occultum fuit,
"ab Adam usque ad Mosem. A Mose autem manifestum
"est vetus, & in eo ipso occultabatur novum, quia occulte
"significabatur. Postea vero quam in carne Dominus ve-
"nit, revelatum est novum: veteris autem sacramenta ces-
"sarunt, sed concupiscentiæ tales non cessaverunt. In
"illis enim sunt, quos Apostolus jam per sacramentum
"novi Testamenti natos, adhuc tamen dicit, animales
"non posse percipere, quæ sunt spiritus Dei. Sicut enim
"Sacramentis Veteris Test. vivebant quidam spirituales,
"ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultaba-
"tur, occulte pertinentes: sic & nunc in sacramento novi
"Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt ani-
"males. Qui proficere si nolunt ad percipienda quæ sunt
"Spiritus Dei, quo eos hortatur sermo Apostolicus, ad
"vetus Testamentum pertinebunt: Si autem proficiunt, &c
"antequam capiant, ipso profectu & accessu ad novum
"pertinent. Et si prius quam spirituales fiant, ex hac vita
"rapiantur; custoditi per sacramenti sanctitatem in terræ
"viventium computantur, ubi est spes nostra & portio
"Dominus.

Idem T.7. contra duas Pelagianorum epistolas lib.iv. ad Bonifacium cap.v. "Qui fecerit ea, vivet in illis. Quod ex
"lege testimonium commemoratum ab Apostolo propter
"vitam temporalem intelligitur, propter cujus amittendæ

" timorem, faciebant homines legis opera non ex fide, " quæ transgressores legis eadem lege à populo jubebant " occidi. Aut si altius intelligendum est, propter vitam æ- " ternam scriptum esse, qui fecerit ea, vivet in illis, ideo sic " expressum est legis imperium, ut infirmitas hominis in " se ipsa deficiens ad facienda, quæ lex imperat, de gratia " Dei potius ex fide quæreret adjutorium, cujus misericor- " dia etiam fides ipsa donatur.

Idem T. 8. in Psal. LXXIII. " Cum, secundum promissa " Dei ad vetus Testamentum pertinentia, expectaret felici- " tatem terrenam; animadvertit eam abundare apud im- " pios, &c. Et post aliqua: Sed ne quisquam putaret, ab alio " factum esse hominem terrenum, ab alio cœlestem; ideo " Deus ostendens se esse utriusque creatorem, etiam u- " triusque Testamenti se voluit esse auctorem: ut & ter- " rena promitteret in veteri Testamento, & cœlestia in " N. T.

Idem T. 9. super Iohannem tract. XXV. " Aliquid plus " iste (Christus) promittebat, quam Moses. Per Mosen " quippe promittebatur regnum & terra fluens lac & mel, " temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & " cætera omnia, temporalia quidem, in figura tamen spiri- " tualia: quia veteri homini in veteri Testamento promit- " tebantur. Attendebant ergo promissa per Mosen, attende- " bant promissa per Christum. Ille plenum ventrem pro- " mittebat in terra, sed cibo qui perit: iste promittebat ci- " bum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

Nec solus ita credidit Augustinus: sed eadem aliorum Patrum sententia fuit. Unum, alterum, ex ingenti turba producemus. Hieronymus lib. II. comm. in epist. ad Gal ad illa verba cap. V. " Nam in Christo Iesu neque circumcisio " aliquid valet, &c. Ex eo tempore, quo Evangelium in " toto orbe radiavit, superflua est circumcisionis injuria. " Quæ tunc, ut cætera quoque legis, valuit, quando & be- " nedictiones carnales legem servantibus spondebantur: " quo scilicet, si implessent eam, benedicti essent in civita- " te, benedicti in agro, plena haberent horrea, & multa a- " lia, quæ in repromissionibus continentur. Nos autem in " Christo Iesu valere volumus, confortari, id est in vera cir- " cumcisione, &c. Idem lib. I. Dialog. contra Pelag. Per- " spicuum est, regnum cœlorum primum in Evangelio " prædicari per Joannem Baptistam, & Dominum salvato- " rem, & Apostolos. Hæc ille adversus Pelagium, qui dixe-

rat,

rat," regnum cœlorum in veteri Teſtamento repromitti: uti ibidem ait Hieronimus. Iunilius Africanus epiſc. lib. de partibus divinæ legis ad Primaſium cap. XVII. "Veteris "Teſtamenti figuræ ad Novum intentione reſpiciunt. No-"vum autem futuræ vitæ beatitudinem repromittit: & ſic "omnia ad futuri ſeculi ſpem ex ipſa intentione currunt. Iſidorus Hiſpalenſis lib. II. de differentiis ſpiritualibus diff. XXVIII. "Inter legem & Evangelium hoc in-"tereſt, quod in lege litera, in Evangelio gratia: "illa habet umbram, iſta imaginem: illic Chanaaniti-"dis regnum & promiſſiones rerum temporalium con-"tinentur, hic vita æterna regnumque cœlorum promi-"titur.

Etiamne Scholaſticorum de hoc judicium deſidera-quam? En ipſum Lombardum lib III. ſentent. diſt. IV. lit. B. "Diſtat Evangelii litera à legis litera, quia diverſa ſunt "promiſſa: illi terrena, hic cœleſtia promittuntur. Simi-liter Thomas Aqu. I. 2. qu. 91. art. 5. "Lex vetus directe or-"dinabat ad bonum ſenſile & terrenum: lex nova ad bo-"num intelligibile eſt & cœleſte. Biel in lib. III. ſent. diſt. XL. q. un. "Æterna bona in nova lege manifeſte "promittuntur: in veteri, non niſi ſub quibuſdam figu-"ris.

Trecenta hujuſmodi non ex Scholaſticis modo, ſed etiam Patribus antiquis, adferre poſſum; quæ clare oſtendant, exiſtimaſſe eos, Deum veteri populo, Moſaicæ legis obſervanti, promittere vitam longævam, & felicitatem temporalem: atq; tranſgredienti legem comminari omnis generis calamitates, & mortem violentam: & licet mere c-nales ultra iſta non aſſurgerent, tamen qui ſpiritum l haberent, intelleXiſſe, per hujus vitæ conſervatione gnari vitam æternam: & per deletionem è numero v tium ſciſſe indicari deletionem è libro electorum ad vitam æternam.

CAP. XXIV.

Exponitur, quid temporale illud ſit in victimis veteris Teſtamenti, quo repreſentent ſpiritualem effectum à Chriſti ſacrificio promanantem.

QUæ autem univerſe haſtenus de lege diximus: eadem diſtincte etiam in ſacrificiis conſiderare oportet. Nam Catholici conſentiunt, ea eſſe typos *crucis*

ac paſsionis Dominicæ: in qua omnia recapitulantur: ut ait Hieronimus in cap 2. ad Epheſ. & cap. v. ad Matthæum. Atque ut Auguſtinus ait lib xx. adverſus Fauſtum cap. xviii. *Offerentes Deo in victimis pecorum, celebrabant futuram victimam, quam Chriſtus obtulit:* quibus genuina habet lib. x. de Civit. D. cap. xx. & lib. i. contra adverſarium Legis & Prophet. cap. xviii. & in Pſal. l. atque alibi. Quare ſi lex univerſa promittit carnalia, ſed quibus ſpiritualia deſignentur; etiam in victimis carnalis effectus diſtingui debet ab eo, quod ſpiritualiter adumbrant. Spiritualis autem effectus eſt, ſolutio à reatu æterno & pœnis infernalibus: quam ſacrificia adumbrant, non præſtant. Unde Auguſtinus lib. xviii. contra Fauſtum cap. vi. *In ſacrificiis figura noſtræ fuerunt, quia noſtra mundatio & Dei propitiatio nobis ſine ſanguine nulla eſt: ſed illarum figurarum veritas Chriſtus eſt, cujus ſanguine redempti & mundati ſumus.* Et epiſt. lix. ad Paulinum. *Dimiſſionem peccatorum* (nempe quod ad reatum æternum) *cinis vaccæ, & adſperſio ſanguinis, & cruentarum multiplicatio victimarum ſignificabat, non efficiebat. Ideo deinceps dicit, Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, id eſt illorum ſacrificiorum, quæ immolabantur in figura ſanguinis Chriſti.* Sed ſi ſacrificia adumbrant ac ſignificant ablationem reatus æterni: neceſſe eſt ſubſternatur effectus temporalis, per quem ſpiritualis ille effectus repræſentetur. Is vero eſt ablatio reatus, ratione pœnæ temporalis. Quod ita eſſe, non difficulter probatur. Nam lex, quatenus eſt inſtrumentum civilis ſocietatis, ad beatitudinem πολιτικὴν ordinatum, longævam iis vitam pollicetur, qui ſecundum legem vivunt: ut Levit. xviii. 5. ubi temporalem vitam directe ſignari, veteres arbitrantur, juxta illud Rom. xiii. 3. *Vis non timere poteſtatem? quod bonum eſt, facito* Et ſane etiam Chaldæus Paraphraſtes Levitici locum vertit, *Quod faciens homo vivet in eis vita ſeculi,* hoc eſt longæva. Quamquam pro eo in Complutenſibus ac Regiis Bibliis transferatur, *Vivet vita ſempiterna.* Ut autem vitam diuturnam legis obſervantibus Deus promittit, ita violentam ejus tranſgreſſoribus mortem minatur: ut cognoſcimus ex Exod xx. 7. Verum miſericors Deus, ſummus νομοθέτης, ne peccantium ſuppliciis paullatim populus omnis deleretur, ſtatuit, ut atrociora quidem delicta non niſi morte expiarentur, ſed pro hominibus carne immundis, vel minori peccato contaminatis, victimæ mactarentur: unde pro talibus Levit. xvii. 11. dicitur *ſanguinem* animalis eſſe, *qui hominis pro piaculo eſt*: ex quo colligit

Euſe-

Eusebius lib. I. de demonstratione Evangelica cap. x. loco hominis, mortem merentis, animal illud offerri, quod sacrificatur. Verba ejus sunt, Σαφῶς γὰρ ἀντὶ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, τὸ τῶν σφαγιαζομένων ζώων αἷμά φησιν ἐξιλάσκεσθαι. Et mox ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοθυτούμενα. Sed uti antea monebam, hæc carnalis ἀπολύτρωσις minime in quibusvis delictis locum habeat; quod clare nos docet antiquus scriptor quæst & respons. ad Orthodoxos, quæ Iustino Martyri tribuuntur. Ejus verba ex respons. XCVII. quia Græce adduxit Grotius, Latine nunc solum apponam. "Cæterum, inquit, in delictis aliis, quæ vitæ aut consue-"tudini civili hominum damnum adferunt, veniam non "dat, neque per baptismos, neque per irrationalium vi-"ctimarum oblationes: sed justam atque dignam per jus "æquum talionis (διὰ τοῦ ἴσου τῆς ἀντιπλήξεως) delinquenti-"bus refert compensationem: Animam, inquit, pro anima, "oculum pro oculo, dentem pro dente. Ubi vero æquum "retributionis jus minus convenienter administratur, ibi "peccantibus igne, vel saxo, vel ferro mortis infertur sup-"plicium. Nam filiam sacerdotis fornicantem, igne com-"burit: laici autem, lapidibus enecat: conjugem vero "(ὕπκνδρον) gladio percutit. Neque aliquam habet lex "potestatem, ut ejusmodi criminis reum quemquam per "benignitatem, baptismorum lustrationibus & rebus di-"vinis faciendis salvet. Gratiæ autem permagna est adver-"sus delinquentes vis & potentia. Hæc namque lege ad-"huc dominante, nisi regem Davidem duplici capitali pec-"cato implicatum excepisset, eique pœnitentiæ fores a-"peruisset, non invenisset ille apud legem, quæ peccatores "servare posset, humanitatem. Cæterum quod carnalem mundiciem & salutem in delictis quibusdam victimæ præstarent: hoc, uti dicebamus, illud est, quo mundationem spiritus, & salutem æternam adumbrabant. Audiamus divinum scriptorem ad Hebr. c. IX. 13. 14. "Nam si sanguis "taurorum hircorumque, & cinis juvencæ adspergens "inquinatos, sanctificat eos ad carnis puritatem: Quanto "magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum se ipsum "obtulit inculpatum Deo, purgaturus est ab operibus "mortuis conscientiam vestram ad serviendum Deo vivo? Quem in locum sic scribit Franciscus Iunius Parall. lib. III. "Apostolus, inquit, per comparationem minoris confir-"mat hoc suum dictum de æternitate redemptionis Chri-"sti, elegantissimo ἐπιχειρήματι: cujus quidem prosyllo-

gismus,

" gismus, evidentiæ causa, ponendus est ab ἀναλογία, in hunc
" modum: Quarum rerum institutio est ἀνάλογος, quam-
" vis in diverso genere, earum vis & efficacitas, pro ratio-
" ne generis sui, major aut minor dicenda est. Sangui-
" nis taurorum, hircorumque cineris, & cæterarum ex-
" piationum legitimarum ritus est ἀνάλογος cum aspers-
" sione sanguinis Christi. Ergo pro ratione utriusque ge-
" neris alia est hujus, quam illius efficientia. Ex hoc prosyl-
" logismo conficitur argumentatio, quâ his constituit Apo-
" stolus: Infinite major est rei spiritualis & æterna efficien-
" tia, quam rei carnalis, quamvis cum altera habentis ana-
" logiam. Sanguis taurorum hircorumque & cinis juven-
" cæ, quibus inquinati ex lege aspergebantur, sanctificavit
" ad carnis puritatem, Infinite igitur major est efficacitas
" sanguinis Christi. Hujusmodi cum divini ad Hebræos
scriptoris mens sit, satis patet, aliam esse efficaciam, quam
rufæ vaccæ cinis aquæ lustrali inspersus præstaret carnali-
ter: aliam vero, quam significaret spiritualiter. Carnaliter
consideratus Iudæos secundum carnem sanctificabat, cum
ob contactum cadaveris, vel ullius rei impuræ, judicaban-
tur immundi, eoque à sacro cœtu excludebantur: spiritua-
liter autem spectatus denotabat per sanguinem Christi a-
nimas hominum purgari, ne excluderentur, è regno cœlo-
rum. Neque est quod aliquis dicat, solum hic victimis tri-
bui, quod instituto divino tollere possint immunditiem
carnis ceremonialem, qualis illa quæ ex rei immundæ con-
tactu proveniebat. Nam etiam per victimam expiabantur,
qui dissimulassent blasphemiam, aut temere juravissent, aut
fidem depositi fefellissent, aut furtum fecissent: ut liquet
ex Levit. cap. v. ubi de istis dicitur: *Expiabit eos sacerdos &*
remittetur eis. Quod ipsum firmatur ex Levit. xvii. 11. ubi
tria hæc distincte docemur, animam seu vitam pecoris esse
in sanguine; ipsum illum sanguinem, in quo vita esse dici-
tur, vim habere expiandi animas; atque idcirco sanguinem
pecoris poni debuisse super altare, ut ibi combureretur ad
expiationem animarum. Itaque non tantum carnis mun-
dationem, sed etiam mortalium delictorum remissionem,
victimarum esse effectum statuit Nicolaus Lyranus in cap.
ix. Numer. ubi sic scribit: " In lege erant duæ purifica-
" tiones. Una ab immunditie spirituali: quæ contigit ex
" peccatis: & ista, quæ erat gravior, purificabatur per obla-
" tiones & sacrificia: ut habetur Levitici iv. & v. Alia au-
" tem erat ab immunditia corporali, quæ contingit ex ta-

ctu

"ctu alicujus rei immundæ, vel alia immunditia corporali, "per quam efficiebatur homo ineptus ad ingrediendum "locum cultus divini, ita quod tales immunditiæ erant, "quasi quædam irregularitates impedientes accedere ad "locum divini cultus, quamdiu manebant tales. Et purifi- "cabantur per aspersionem aquæ lustrationis, in quæ com- "miscebantur cineres vaccæ combustæ. Aperte victimis du- plicem tribuit efficaciam, purgandi carnem ab immunditie ceremoniali, & expiandi à reatu delicti moralis. Quemad- modum igitur carnē mundandi, ita & moralem culpam ex- piandi communis est victimis effectus cum Christo; sed ἀνάλογον, modoque longe præstabiliori competens anti- typo, quam typo. Typo enim carnis mundatio, quæ præsen- rem spectat vitam, tribuitur; sed antitypon præstat munda- tionem conscientiæ. Similiter igitur typo non alia conve- niet expiatio moralis delicti, quam corpus spectans, in quod terrenus judex habet potestatem: non item illa, quæ tollit reatum æternum, quo (nisi per satisfactio- nem Christi liberemur) animæ una cum corpore conjicien- dæ sint in gehennam. Interim quomodo scriptor ad He- bræos docet, per mundationem carnis signari mundation- nem conscientiæ: sic per vitæ præsentis conversationem adumbratur consecutio vitæ æternæ: atque ita, quem- admodum Hieronymus scribit in Zachar. cap. XIII. "De lege transeuntibus ad Evangelium, de umbra ad "veritatem, pro brevibus & præsentibus futura & æterna "succedunt. Quod etiam voluit scriptor commentario- rum in Epistolas Paulinas, quæ etsi Ambrosio tribuuntur quoque in actis synodi Aquisgranensis, anni IↃCCLXXII: tamen ejus esse non possunt, sed potius Hilarii sunt dia- coni, qui B. Hieronymi tempore vixit: ut alibi osten- dimus. Ejus hæc verba sunt in epist. ad Gal. cap. III. "Omnia legis manifesta sunt, ut servans legem vivat. "Si quo minus, necesse est plectatur, quia, quod scivit "vitandum, admisit. Et mox: Verum est, quia nemo "per legem justificatur, sed apud Deum. Iustificatur "autem apud mundum ut securus sit in vita præsenti. "Si autem apud Deum justificari vult, sequatur fidem. A- "lioqui hic securus, reus erit in futurum. Atque idem voluisse videtur in cap. IX. ad Hebr. "Omnia permutata "sunt: ibi sanguis hircorum diluit peccata carnis, hic san- "guis Christi abluit peccata spiritus: quia æterna redem- "ptione invēta, ostendit in prioribus sacrificiis & legalibus

cere-

"ceremoniis, non esse æternam retributionem. Et post "aliqua: Quod vero ait, Sine sanguinis effusione non fit "remissio: sed semiplena in minima parte. Et mox: Pro- "pter hoc etiam omnia sacrificia veteris Testamenti legun- "tur, ut hoc unum sacrificium designarent, per quod ve- "ra est remissio peccatorum, & mundatio animæ in æter- "num.

Etiam Augustinus, cum totius legis Mosaicæ promissiones & minas respicere hanc vitam dixisset: convenienter sibi docet, sacrificiis veteris populi auferri pœnam, quam terrenus judex infligit: passione vero Dominica, quæ per victimas adumbratur, tolli reatum æternum. Cognoscere hoc est ex istis verbis in Numeros, qu. xxxiii. "Eadem "sunt in vetere & novo Testamento, ibi obumbrata, hic "revelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non so- "lum sacramenta diversa sunt: verum etiam promissa. Ibi "videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium "occulte significatur. Hic autem manifestissime spiritualia "promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum "atque carnalium, & spiritualium atque æternorum, quæ "clarior certiorque distinctio est, quam passio Domini no- "stri Iesu Christi: in cujus morte satis constitit, non "istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino "Deo pro magno munere sperandam & optandam; quan- "doquidem in unigenito Filio suo, quem tanta ille perpeti "voluit, longe aliud à se peti expectarique oportere decla- "ravit. Quæ verba citat etiam Beda, Collectaneis ex Au- gustino in cap ix. ad Hebr. Nec est quod dicat aliquis, de sacramentis solis hic agi. nam, ut è junioribus Herbran- dus, & ex eo Osiander ad cap. vi. Levitici, optime scribunt, "Sacrificia ratione effectus simul etiam fuere sacramenta, "hoc est, sigilla veræ expiationis peccatorum coram Deo, "quatenus sacrificia Christum respiciebant. Unde in A- "pocalypsi cap. xiii. dicitur, agnum esse occisum ab ori- "gine mundi: nimirum typice, & ratione effectus. Au- gustino consentit Sedulius Scotus, Collectaneis in cap. x. ad Hebr in illud, "Umbram enim habens lex futurorum bo- "norum, non ipsam imaginem: Umbra, inquit, fuit, non "veritas. Nam requiescebant peccata ad tempus, non re- "mittebantur. Quibus verbis non aliud voluit, quam vi- ctimam pro peccato offerentes, temporalem pœnam effu- gisse: cæterum, nisi fide & pœnitentia præditus quis esset, fuisse remissionem non remissionem, hoc est dilationem

pœnæ

pœnæ verius, quam ablationem. Eademque mens fuit Brunonis, qui ante annos vixit quingentos, in cap. IX. ad Hebr. "Serviebant in juſtitiis, ſed carnis, quia carnales ſunt juſtitiæ, corpus quidem à pœna legis liberantes, ſed animam in vinculis peccati deferentes. Et ibidem: Probat "hoc Apoſtolus à minori, dicens, Vere per ſanguinem "Chriſti inventa eſt redemptio: quia ſi ſanguis hircorum "& taurorum, & ſi cinis vitulæ combuſtæ, aſperſus ſuper "populum, ſanctificat inquinatos, id eſt mundat pollutiones peccatorum: ſanctificat, dico, valens ad emundationem, non utique animæ, ſed carnis tantum, quia carnem liberat à pœna legis, anima polluta remanet: ſi, "inquam, ſanguis illorum animalium aliquo modo ſanctificat, quanto magis ſanguis Chriſti emundavit nos? Quæ poſtrema Brunonis verba, ſimiliter atque illa Sedulii interpretamur.

Nec antiquiores ſolum, ſed etiam juniorum plerique ſic ſenſerunt. Vnum alterumque ad partes adducemus. Philippus Melanchthon Loc. com. cap. de Sacrificiis. "Dicebantur quædam ex lege propitiatoria ſacrificia propter "ſignificationem ſeu ſimilitudinem, non quod mererentur peccatorum remiſſionem coram Deo, ſed quia ſignificabant futurum ſacrificium. Cæterum ibi merebantur "remiſſionem peccatorum in EXTERNA CONVERSATIONE, ne illi excluderentur ex Politia Moſis. Similiter in loc. comm. Eraſmus Sarcerius, "Sacrificium "propitiatorium coram politia Moſis valens, eſt opus, "quod redimebat juſtitiam legis, hoc eſt, ne is qui peccaverat, excluderetur è Rep Moſaica: & eſt typus veri propitiatorii ſacrificii pro peccatis coram Deo. Et poſt aliqua: "Effectus propitiatorii ſacrificii Moſaici ſunt. I. Redimere juſtitiam legis. II. Reconciliare politiæ Moſaicæ, "& Iudaico populo. Hi effectus, certi ſunt exemplis illorum, qui his ſacrificiis reconciliati ſunt reip. Moſaicæ. "Item quia epiſtola ad Hebr. adimit illis ſacrificiis expiationem peccatorum coram Deo, reliquit illis redemptionem juſtitiæ coram politia Moſis, III. Sanctificare ad carnis purgationem. ad Hebr. c. IX. Nam ſi ſanguis taurorum, &c. IV. Eſſe typica veri propitiatorii ſacrificii, ad "Hebr. c. IX. Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, &c. Idem: Duo ſunt ſacrificia propitiatoria pro "peccatis: alterum Moſaicum, alterum Chriſti: ſed hoc "diſcrimine, quod Moſaica propitiatoria tantum ſteterint pro

" pro peccatis coram judicibus Mosaicis, & pro redimen-
" da justitia coram Rep. Israelis. Propitiatorium autem sa-
" crificium Christi stetit semper, & adhuc stat pro peccatis
" coram Deo, & pro vera justitia, qua placatur ira Dei.
Idem voluit Brentius, & ex eo Andreas Osiander, notis in cap. IV. Levitici: " Non institutum fuit hoc sacrificium,
" ut expiet peccata coram Deo. Ex epistola enim ad He-
" braeos notum est, quod nec sanguis taurorum, nec cinis
" vitulorum possint auferre peccata. Sed institutum fuit,
" partim ut esset externa & politica reconciliatio eorum,
" qui errore quodam peccaverant, partim ac maxime om-
" nium, ut esset typus ejus reconciliationis, quam Christus
" erat praestiturus.

Nec in Mosaico solum sacrificio haec ἀναλογία cernitur, sed etiam illo Abrahami, loco Isaaci sacrificantis arietem. Nam cum Christus nos liberet à morte aeterna, aries iste divinitus in vepribus monstratus, qui, ut Eusebius Emissenus, sive Eucherius potius, *pro Isaaco, occulta mysterii dispensatione supponitur*, non liberavit Isaacum, nisi à morte temporali: quod aperte ab antiquis dicitur, & clarius est, quam ut probato sit opus. Hinc Ambrosius de fide Resurr. orat. I I. *Ovem pro homine demonstravit, ut & filiam patri redderet, nec periret hostia sacerdotis.* Arietem vero istum typum fuisse Christi, non Martyr solum, & plerique juniorum fatentur, sed etiam asserit Chrysostomus in Genes. homil. XLVII. *Quomodo vidit Abraham Christum qui temporibus praeesset? Per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac, ita & rationalis agnus oblatus est pro mundo. Oportebat enim in umbra describi & praesignari antea veritatem.* Item Augustinus lib. XVI de Civ. Dei cap. XXXII. *Quis erat ille aries, quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Quis illo figurabatur, nisi Iesus Christus?* Similiter idem lib. XII. adversus Faustum, & serm. LXXI. de tempore. Item Ambrosius lib. I. de Abraham cap. VIII. Praeterea Origenes, Procopius, Eucherius, Rupertus, alii. Itaque in hoc quoque typo videmus communem esse effectum typi & antitypi, sed ἀναλόγον, ariete quidem liberationem praestante à morte temporali; Christo autem, qui agnus est tollens peccata mundi, liberationem ab aeterna morte promerente: ut illustriori modo effectus iste competat Christo quia, ut Hieronymus ait T. 2. lib. II. Comment. in cap. XI. Osee, *Typus partem indicat: quod si totum praecedat in typo, jam non est typus, sed historia veritas appellanda.*

CAP.

CAP. XXV.

Respondetur iis, quæ à Censore dicuntur adversus ista, quæ Grotius docuit de ἀναλογία inter victimas Veteris Testamenti, & sacrificium Iesu Christi.

QUæ fuse hactenus attulimus de effectu analogo victimarum & sacrificii Dominici: ea, tanquam ventus farfari folia, longissime discutiunt ac difflant, quæcunque adversus Grotium de sacrificiorum efficacia objicit Censor. Primum obducit, quod λύτρωσις αἰωνία per victimas significetur. Verum quis Catholicus hoc in dubium vocat? Et tamen Grotio Censor anceps hæret, καθάπερ ἐν τριόδῳ γλαύξ: cum is non solum disertim idem dicat, sed divinis etiam testimonis confirmet. Non igitur hoc quæritur: sed, quod Censor aut non vidit, aut dissimulavit, longe aliud est, de quo controversia sit nobis. Quale illud sit cognoscemus, si audierimus, quid Catholicis objectet Socinus lib. II. de Servat. cap. x. & apertius etiam in Prælect. cap. 22. ubi in hunc dissert modum: "Aut volumus in "victimis illis antiquis vim aliquam satisfaciendi peccatis "fuisse, unde per collationem argumentari liceat, hanc eandem vim in Christi morte fuisse: aut concedimus in illis "victimis revera vim istam non fuisse: sed tamen contendimus ea dicta de illis esse, quæ satisfactionem istam significent, quam necesse sit, cum in re adumbrante non "fuerit, in re adumbrata reperiri, & sic ex ipsa tantum "adumbratione argumentari volumus. Postea subjungit: "In eo valde peccatur, quod pro concesso sumitur, rem adumbrantem ea qualitate penitus carere posse, quam in re "adumbrata præfigurat. Quamvis ejusmodi sit, ut si cum "eo, quod præfigurat, comparetur, imago quædam veritati "opposita esse videatur. Post, exemplis hoc declarat: uti illo abæneo serpente, qui ita exaltatus fuit, sicut Christus: ubi utrobique intuitus, utrobique salus fuit: item ab arca Noæ, quæ antitypon fuit baptismi Christi: ubi utrobique est salus, illic ingredientium arcam; hic accipientium baptismum. Tandem ita concludit: "Oportet igitur, si in "victimis illis antiquis aliqua adumbratio fuit satisfactionis pro peccatis per Christi mortem, in iisdem quoque "victimis aliquam satisfactionem pro peccatis fuisse. Sed "nulla prorsus fuit. Ergo neque ullam etiam satisfactionis "istius adumbrationem in istis fuisse dicendum est, quic-

" quicquid de illis dictum fuerit, quod (si ipsa verba ſpe-
" ctemus) ſatisfactionem illis tribuere videatur. Huic
argumento, ita in ſua Sacrificiorum ſchola Diſputat. xv.
occurrit doctiſſimus Wolfangus Franzius, S. Theol. in wi-
tebergenſi Academia profeſſor: " Male noſtras Eccleſias
" accuſat Socinus, quaſi pro conceſſo ſumant id, quod pla-
" ne falſum eſt; nimirũ quod in ſacrificialibus pecoribus,
" nulla fuerit ſatisfactio pro peccatis. Præſupponimus enim
" id, quod eſt veriſſimum, & quod à Spiritu S. affirmatur
" Levitici XVII. 11. Anima, carnis in ſanguine eſt: & ego
" dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietur pro ani-
" mabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit. Ex di-
" vina igitur miſericordia, divina voluntate, divina inſti-
" tutione, in pecore puniuntur peccata hominum. Hæc
Franzius. Sed cum pœna alia ſit temporalis, alia æterna:
quæſtio eſt, utrum pro peccatis per victimas hac, an illa
pœna ſatisfiat. Pro æternis pœnis ſolus ſatisfecit Chriſtus:
ergo victimæ non præſtant liberationem, niſi à reatu tem-
porali: neque hoc faciunt vi ſua, ſed ex inſtituto divino.
Atque hæc ſatisfactio pro pœna corporis temporali, eſt il-
lud, quod adumbrat ſatisfactionem Chriſti pro reatu æter-
no. Hæc ſatis oſtendunt, non illud eſſe in controverſia,
quod Cenſor putavit, ſed, cum paſſim urgeat Socinus, fi-
guram tanquam imaginem reſpondere veritati, eo quæri,
num victimæ ſola perpeſſione Chriſtum figuraverint, an
vero, aliquo etiam effectu perpeſſionis iſtius. Nos arbi-
tramur cum Grotio, ut plena ſit figuræ ratio, hoc etiam
requiri, ut tale aliquid citra figuram promiſſum ſit morti
victimæ, quale id ſit, quod ob Chriſti mortem contingat:
ita tamen, ut effectus mortis Chriſti tanto ſit major, quan-
to Chriſtus victimas illas antecellit. Hanc non noſtram
primitus fuiſſe ſententiam, ſed Chriſtianiſmi veteris, atque
etiam plerorumque è junioribus, oſtendunt ea, quæ ſupe-
rius adduximus. Imo ubicunque aliqua perſona aut res
(puta ſerpens in deſerto) dicitur Chriſti typus fuiſſe, ibi
inveniemus aliquod bonum temporale, aut mali alicujus
averſionem, perſonæ aut rei adhæſiſſe, quæ æterno bono,
aut æterni mali averſioni per Chriſtum præſtandæ reſpon-
derer. Videat ergo Cenſor, qua fiducia neget, victimas
per ſe ullam præſtitiſſe ſanctificationem, aut Deum, ex
fœdere legali, moviſſe ad carnalem pœnam remittendam.
Contrarium enim evincunt exempla, quæ in hanc ſenten-
tiam adduxit Grotius pag. 185, & 186. &c. Certe hæc qui

tollit,

tollit, & comparationem in epist ad Hebr. obscurat, & ab antiquitatis judicio recedit, & sine justa caussa Socino gratificatur.

CAP. XXVI.

Refelluntur longe plurimi errores Censoris in istis quibus probare conatur, Deum in satisfactionis negotio considerandum esse, ut creditorem & judicem.

ABluculenta illa quæstione de analogo sacrificiorum effectu, deventum nunc ad nobilem illam controversiam de partibus, quibus fungitur Deus, in exigenda à Christo peccatorum pœna, nobisque remittenda. Ostendit Grotius eum hoc loco considerandum esse, ut rectorem summum. Sed neque hic satisfacere potuit Censori. *De rectore*, inquit, *res clara est: sed nimis licenter D. Grotius, considerationem Dei, ut creditoris & judicis, ab hoc negotio removet. Non uno, sed tribus illis modis Deus est considerandus, quia χρεῖαν in hoc actu triplicem scriptura Deo tribuit: videlicet, ut rectori, ut creditori, ut judici.* Sed non uno nomine peccat Censor. Neque enim χρέαν judicis removet Grotius, cum rector omnis, qua rector est, judicet: eoque, rectorem qui dicit, judicem includat. Solam igitur à Deo removet χρέαν judicis νομικὴν, ac formulæ adstricti: quales sunt in regno magistratus infra regem positi: aut in Rep. consules & prætores. Verba Grotii ipsius sunt: " Damus hoc postulanti Socino, Deum non esse hic spectandum, ut judicem sub lege constitutum. Nam talis qui sit judex, is nocentem non posset à pœna liberare etiam pœnam in alterum transferendo: non quia id per se injustum sit, sed quia legi non congruat, cujus ipse minister electus est. Æquitas enim est adstricti formulæ judicis, ut clementia proprie ita dicta, non est, nisi summi in quaque communitate Rectoris. Agnovit hoc discrimen Augustinus: Iudicibus statutum est, ne liceat in reum datam sententiam revocare: Nunquid & ipse Imperator sub hac erit lege? nam ipsi soli licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere. Et Symmachus: Alia est conditio magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sunt legibus mitiores: alia Divorum Principum, quos decet acrimoniam severi juris inflectere. Ex his cum luce ipsa clarius sit, illud solum Grotium dicere, Deum in hoc negotio non esse considerandum tanquam judicem sub

sub formula constitutum; miror multumque miror, Censorem sic ejus verba capere potuisse, quasi σχέσιν judicis, citra illam restrictionem, σχέσει rectoris opponat.

Similiter cum probatum it, Deum fungi partibus creditoris, non quidem ἐν δυοῖν τρία βλέπει, quod dici solet, sed in tribus videt unum. Nam aliud longe est quærere, an Deus aliqua ratione creditor noster sit proprie, ut in exigenda obedientia: aliud item, an in pœna exigenda aliquid habeat creditori simile, atque ideo recte eo quoque respectu creditori compareretur (quod lubens largitur Grotius p 56 61. & 69.) aliud denique quærere, quo respectu Deo proprie, primo, ac per se competat punire, aut pœna liberare. Hoc dum non attendit Censor, passim umbram ferit. Videt à Grotio concedi, Deum peccata condonantem conferri cum creditore; videt item causas, in quibus ea comparatio consistat, ab eo adferri luculentissimas. Cur ergo, inquit, *Deum in Satisfactionis negotio considerandum negat, ut creditorem?* Dicam: quia ubi accurate res examinanda est, utendum est vocibus propriis, non metaphoricis. Non ergo sic ratiocinatur, ut Censori placet: *Parabola, qua Deus cum rectore comparatur, præstantior est, quam illa, qua cum creditore confertur: Ergo Deus non consideratur, ut creditor.* Minime vero. Sed in illo ponit sententiæ suæ firmamentum, quod cum Deus in remissione peccatorum creditori comparatur, parabola est ac similitudo: at cum in eodem actu rector ipse sive summus liberrimusque judex vocatur, non parabola utamur, sed loquimur κατὰ τὸ ἀκριβέστατον. Sic Grotius in hoc argumento (ut sane retineamus exemplum, quod σκωπτόλη huic afferre placuit Censori) proprie est Catholicæ fidei defensor: miles autem, vel advocatus, nonnisi tralatitie.

Hinc istiusmodi ratione pugnat Ravenspergerus: "Profecto cum Iesus Christus appositissime in satisfactionis "negotio dicatur potioris fœderis sponsor Hebr. VII. 22. "sequitur infallibiliter, Deum appositissime in eodem satisfactionis negotio creditorem dici, nos vero debitores. Est enim perpetua σχέσις inter creditorem, sponsorem & debitorem. Neque commodior in suis terminis "considerata similitudo excogitari potest, quæ in negotio "hoc satisfactionis consideretur, quam illa de creditore "& debitore, interque illos interveniente sponsore. At nos ex eo, quod Christus sit fœderis sponsor, negamus directe sequi, Deum esse creditorem. Potest enim sponsor esse,

atque

atque etiam eſt inter Deum, ex liberali promiſſione debitorem: & nos, ex eadem promiſſione creditores. Sane debitorem hoc ſenſu Deum vocat Cyprianus lib. de opera & eleemoſynis, Auguſtinus in Pſal. XXXII. LXXXXII. CIX. Paulinus epiſt. ad Victricium, Fulgentius prologo lib. ad Monimum, atque ipſum concilium Arauſicanum II. cap. XVIII. Attamen creditorem quoque eſſe Deum, faſſi jam ſumus. Verum proprie creditorem eſſe, QUA punit, aut pœnam remittit, dici non poteſt. Nam quod alicui convenit καθ' αὑτὸ (hujuſmodi autem ſignat particula QUA, cum dicitur creditor qua punit) id omni convenit & ſoli. At neque omnis creditor jus habet puniendi, neque ſolus. Rectores autem & ſoli, & omnes (ſemoto impedimento juris poſitivi) punire homines poſſunt.

Poſtea reprehendit Cenſor; quod Grotius dicat, nunquam cum juſtitia pugnare, ut quis de jure crediti cedat. Hoc & alienum eſſe ait, & falſum: in quo bis peccat. Alienum non eſſe, infra probabimus. Falſum autem non eſt, *quia hæc eſt natura proprietatis, ut ea tam uti, quam non uti, liceat.* Loquimur autem de credito, qua creditum; quomodo procul dubio intellexit Grotius. Per accidens enim fieri poteſt, ut id cum juſtitia pugnet. Expreſſit hoc ipſe pag. 108. cum ait. *Suum donare, creditum remittere nunquam non per ſe honeſtum eſt. Per ſe cum dicimus, ea quæ adſunt* καὶ συμβεβηκότα *excludimus: qualis eſt ipſius donantis indigentia.* Quare fruſtra eſt Cenſor, cum probare nititur, ut debitum remittatur (rectius creditum dixiſſet: quia & pœna debetur) interdum cum juſtitia pugnare. Id enim ex crediti ipſius natura non contingit. Cauſa eſt, quia creditum qua creditum ita eſt proprium creditoris, ut diſponere de eo, qua creditum eſt, poſſit abſolute, quod de arbitrio rectoris in pœnam dici non poteſt: quia pœna, qua pœna eſt, relationem habet ad bonum aliquod commune. Vide quæ hac de re dixit Grotius p. 108. & antea p 50. ac 51. Nec firmo ſatis nititur fundamento, quod ait, ſi debitum lædat honorem creditoris, non poſſe creditorem de jure crediti cedere. Nam quid ſi is qui læſit, factum nolit, ac ſeriam pœnitentiam teſtetur: non ſuus læſo honos redditur? Uti enim facto læditur honor, ita contrario ejus reparatur. Quanquam, quid eſt lædere honorem creditoris, qua talis? Num convitio maculam honeſto ejus nomini adſpergere, vel aliud quid facere, quo famæ floris cacumen, ut Laberius loquitur, frangatur? Sane non alia quæ moralis

læſio

læsio intelligi hic potest. At vero tantum abest, ut hunc in modum læsus, pœnam à lædente exigere debeat, ut à Christo jubeatur convitia ferre, offensam condonare, & iis, qui læserant, bene precari. Et ratio, cur id facere jubeatur, in mundo est, quia nos non fungamur partibus rectoris: contra quam in Deo se res habet. Alia igitur creditoris, alia rectoris ratio est: in illo, si ea separes, quæ καλὰ συμβεβηκὸς fiunt, nunquam iniquum est, creditum remittere: in rectore vero injustitia esse potest, si pœnas non exigat. Mox cum honore conjungit naturam Dei, quasi hæc tantundem valeant: cum honos Dei extrinsecus ei proveniat à creaturis, eoque citra eum salva permaneat natura sive essentia divina. Sed neque ad rem facit, quod ait, peccatum naturæ & gloriæ Dei adversari. Neque enim hic agitur de peccato, quæ est actio à lege exorbitans; sed de obligatione ad pœnam. Quod autem de pœnali hac obligatione non possit absolute disponi, hoc neutiquam inde provenit, quia Dei naturæ & gloriæ repugnet: (quod de peccato recte dicitur, de reatu non item) sed inde quia ordo universi sæpe exigat, ut peccata puniantur: & quia id ordo requirit, idcirco à pœna omnino abstinere, sæpe pugnaret cum natura gloriaque divina. Nam natura Dei illam in se rectitudinem complectitur, ex qua oriuntur retributiones justæ, quibus deinde patefit gloria divina.

Post ista scribit Censor in hunc modum: *Non sine gravi præjudicio fidei Catholicæ, Dn. Grotius pro æquipollentibus accipit jus offensæ partis, jus creditæ partis, jus crediti & jus dominii.* Sane hoc si quis faceret, erraret quidem: non tamen, ut Censor sine causa statuit, cum præjudicio Catholicæ veritatis erraret. Grotium vero sic sentire, falso ait idem. Nam jus absoluti dominii & jus crediti aperte distinguit: ut p. 62. *Nam jus absoluti dominii, ut & jus crediti, comparatum est ejus gratia, qui id jus habet.* Quare ubi ponuntur hæ voces, *jus dominii* aut *jus crediti*, ponuntur disjunctive, non æquipollenter, quamquam interim verum est, & in usu communi, & in jure, voce dominii interdum creditum, & voce domini creditorem intelligi, sicut sæpe genus innominatum, nomen à specie nobiliori accipit, aut generis nomen speciei adhæret. Genus utriusque est jus proprium, sive suum: sicut Iurisconsulti, meorum ac tuorum appellatione ajunt etiam actiones contineri. L. XCI. de Verb. signif. Hujus ergo generis species sunt dominium, quod respicit res, & creditum, quod actiones. Inter species crediti est jus illud, quod

quod offensæ parti competit adversus eam, quæ offendit, ad damni restitutionem. Aut Grotium non legit, aut non intelligit, qui misceri hæc ab eo putat. Neque video, quo tendant, tria illa argumenta, quæ Censor subjungit. Primum est, *Etsi punire non est actus competens parti offensa, qua tali, potest tamen competere vi contractus, creditori, qua tali.* Illud, qua tali, verum non est. Nam si jus puniendi per contractum creditori tribuatur, prius est, ut per talem contractum creditori tribuatur ὑποχὴ, regimen atque judicium in debitorem. ac proinde & jus puniendi non competet illi, ut creditori, sed quatenus superior est constitutus. Deus autem, ut jus regiminis (cui jus puniendi inest) pacto ullo quæreret, necesse nihil fuit: quandoquidem ex naturæ suæ præstantia ac relatione ad res creatas intellectu utentes, necessario id ipsum habet. Plane nescio, quem scopum sibi Censor hic proponat. Alterum ejus argumentum est: *Etsi naturaliter pars offensa, qua talis, jus nullum habet in pœna* (quod Grotius asserit) *potest tamen habere creditor, qua talis, & habet revera dominus, qua talis.* Multa hic sunt errata. Nam pars offensa, si jus spectetur, quod contra offendentem habet, nihil aliud est, nisi creditrix, quare quod creditori, qua tali, competit, etiam parti offensæ, qua creditrix est, competet. At jus puniendi, certum est non competere creditori, qua tali. Neque enim omni, neque soli competit. Idem autem est dicere competere qua tali, aut tali omni solique competere. Quod ait, dominum, qua talis est, jus in pœna habere, concedi non potest, si vox domini accipiatur proprie. Alioqui sequetur, jus puniendi etiam in rebus inanimis locum habere. At si domini voce rectorem intelligit, improprie loquitur: neque enim omnis dominus est rector, ut qui res inanimes possideat: neque rector omnis dominus, ut in civili regimine apparet: ac præterea idem dicit improprie, quod proprie Grotius dicit: nempe punire aut à pœna liberare, esse rectoris, qua talis. Accidit quidem domino proprie dicto, ut & rector sit, si id, quod in dominio habet, objectum sit passivæ regiminis capax: sed si accurate loqui volumus, dominus servum quoque, non qua dominus est, punit, primo, inquam, per se ac proxime, sed qua rector, Ministerio servi utitur, ut dominus: punit autem non ut dominus, ideoque nec pro arbitrio, sed ut rector, atque idcirco pro modo culpæ.

Ad-

Adsit

Regula, peccatis quæ pœnas irrogat æquas:
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Tertium, quod addit Censor hoc est, *Etsi jus puniendi in rectore non est jus crediti, aut dominii: jus tamen puniendi in absoluto domino est jus absoluti dominii.* Si hoc voluit, ut quia ineſt aliquid abſoluto domino, eo jus ſit dominii abſoluti: multum fallitur. Nec enim hoc magis ſequitur, quam ſi contendat regi aliquid competere qua tali, quia ineſt regi. Sane Alexander M. hiſtoriam naturæ & rerum cauſas noverat; ſed ut philoſophus, non ut rex. Neque probatio iſta ſolum eſt infirma, ſed aſſertio plane falſa. Etſi enim idem eſſe poſſit & abſolutus dominus & rector; idem quoque actus poſſit peragi tum ex vi dominii, tum ex jure puniendi: tamen actus talis, ſi pœna eſt, ei qua pœna eſt, non ex jure abſoluti dominii, ſed ex jure regio proficiſcitur. Si vero ratione abſoluti dominii exerceatur, jam eatenus pœnæ rationem non habet. Abſolutum enim dominium neque peccatum exigit, neque relationem mali inflicti ad malum patratum: at punitio utrumque requirit. Non ergo eſt idem, jus abſoluti dominii, & jus puniendi: etſi iſta quoſdam poſſunt habere effectus aut ſimiles, aut etiam communes. Minime ergo oſtendit, quod intendit Cenſor, Deum in negotio ſatisfactionis (pœnalis puta, de qua agimus) conſiderari ut creditorem; proprie nempe: nam per ſimilitudinem ita dici, cum Grotio agnoſcimus. Sed in diſputationibus adhibenda eſt ἀκριβολογία. Non *eſſe* autem *alienum*, ut Cenſor vult, quod creditoris proprie dicti σχέσιν à σχέσει rectoris Grotius diſtinguat, quilibet videt, qui Socinianum argumentum à creditore petitum intelligit. Creditor enim nihil contra officium facit, etiamſi de maximo credito nullam exigat ſatisfactionem, quod in Cenſore circa pœnam aliter ſe habet, fatente cenſore.

Poſt hæc redit eo Ravenſpergerus, ut σχέσιν judicis in hoc negotio Deo aſcribat: quod, uti dixi, volente & fatente Grotio facit. Rector enim judicem includit, ſi non addatur judici reſtrictio poteſtatis ad legem poſitivam. At inquit, *ſic ſcribit Socinus: quid aliud Grotius?* Ingens ſane facinus, aliquid dicere, quod vi veritatis victus fateri cogatur Socinus. Et tu Cenſor, nonne cum Socino idem hic dicis? Hac ipſa Socini confeſſione cum utatur Grotius, ut neget Deum proprie tanquam creditorem conſiderari oportere,

tu

tu, hoc quoque ipsum frustra, & cum bonæ causæ detrimento Socino largiris: quanto in Socinum benignior, ne usquam tua in Grotium malignitas claudicaret? At inquit idem, "Certum est, Deum in negotio satisfactionis consideriri, ut principem & dominum, cui non est lex lata, "sed cujus voluntas ei pro lege est, inde tamen non recte "colligitur, Deum non considerari, ut judicem. Unum e- "nim horum, alterum non tollit, aut perimit. Atque tantum abest, ut hoc Grotius neget, ut amplius etiam Censore ipso dicat. Nam ex eo, quod ut rector spectatur, necessario sequitur, ut judicem considerari. Rectoris tamen nomen usurpare Grotius maluit, quam judicis, quia actus liberandi peccatorem à pœna, non tam recte tribuitur judici, quam actus puniendi. Quare vocem eam prætulit, quæ utrumque comprehendat. Adjungit istis, "Certum est "Deum passim in scriptura comparari cum judice, qui "mundum judicet in justitia, qui judicet vivos & mortuos, "qui judicet unumquemque secundum opera sua. Imo non judici mundi, aut vivorum, mortuorumque comparatur: sed ipse justus mundi judex futurus, & vivos, mortuosque judicaturus dicitur. Neo si judici comparetur, eo intelligi oporteat ἀνόμοιον ac delegatum; sed supremum, qui legibus non subjacet alienis: quod discrimen mox ipse agnoscere cogitur Censor. Quod ergo hic colligit, *recte considerari Deum in puniendis ac remittendis delictis, ut judicem*: id nisi de judice ἀνομοίῳ intelligatur, quod nunquam dicit, neutiquam Grotio adversatur; quia supremus judex in summo rectore includitur: ut antea diximus.

CAP. XXVII.

Diluuntur ea, quæ dixit Censor de actu Dei in negotio satisfactionis, & quid inter dispensationem & legis executionem: & quid inter derogationem, abrogationem, subrogationem, & obrogationem: quidque inter dispensationem, & legis interpretationem κατ' ἐπιείκειαν intersit, ostenditur.

HInc transit Censor, ad quæstionem illam accurate, ut omnia, à Grotio pertractatam. Qualis sit Dei actus in hoc negotio. Dixerat Grotius, actum illum esse legis relaxationem sive dispensationem: non autem vel executionem legis, vel abrogationem, vel interpretationem κατ' ἐπιείκειαν. Ubi tria ista oppositè intelligi, quatenus dispensationi opponuntur, res ipsa loquitur. Censor tamen,

Quæ hæc, inquit, *est subtilitas?* Cujusmodi cum lego, cogito subinde mecum:

O frater, frater, quæ te dementia cepit?
Sexpunctata tibi frondosa vitis in ulmo est.

Nisi frondes meras aut labruscas exspectare non vis ab ingenio tuo, quod amamus, ætatem cogita tuam, & illud Corvatis, μαχρὰ πίχυ. Noli damnare, quæ non intelligis: noli ridere, quæ discere adhuc debes: noli sic placere tibi, ut etiam in istis, quæ ex juris scientia dependent (hujusmodi enim quæstio est ista, de qua hoc capite agendum est nobis) acutius videre te credas, quam ipse ille, quem præfatione illa tua eminentissimum Iurisconsultum appellas, & inferius, Iurisconsultum magni apud omnes nominis haberi agnoscis. Scis enim, opinor, illud quod Stagirita philosophus primo ad Nicomac. dicebat, Ἕκαστον κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής.

Hinc subjungit Censor: "Dei in postulatione satisfactionis actio, est pœnæ peccatis promeritæ exactio: quæ "si Impersonaliter, consideretur, cur peccator puniendus "sit, finis ejus est divinæ justitiæ demonstratio: si vero Per"sonaliter cur Christus punitus sit, finis ejus est, ut per "Christi punitionem nos impunitatem consequamur. Hæc verissime ab Censore dicuntur: interim candorem ejus requiro, quod cum hæc iisdem pene verbis apud Grotium legerit pag. 32. unde ea hauserit, dissimulet: nec dissimulet tantum, sed Grotio ipsi, quasi ista docendus esset, obducat.

Sequitur paulo post apud Censorem: "Frustra est, quod "D. Grotius ait, actum illum Dei non esse legis executionem, nec abrogationem, nec interpretationem per ὄμ"οίωσιν: sed legis relaxationem, seu dispensationem. Est "enim hæc omnia. Expendemus singula. Ac primum male ait Censor, esse executionem legis, quæ verius est gratioſi decreti executio. Nec enim dispensatio illa lege continetur, sed Evangelio. Quod qui negat, Vetus & Novum Testamentum, sive legem & gratiam confundit. Error Censoris ex eo profluxit, quod non cogitavit, quando executio legis dispensationi opponitur, totius legis executionem intelligi: quod Grotius addita voce OMNINO explicuit. *Si Deus*, inquit, *legem omnino exequeretur*: Ergo cum dispensatione exequi, est partem legis exequi, non legem totam, ὡς κεῖ). Hoc vellicare, quid aliud est, quam cavillari? Exinde reprehendit Grotium, quod neget esse abro-

abrogationem. Atqui ſolide hoc eo evicit Grotius, quia lege abrogata nemo tenetur: infideles autem adhuc obnoxii ſunt legi. Tamen noſter egregius Cenſor. *Quæ hæc*, inquit, *eſt ſequela, ſi lex infidelibus non eſt abrogata, ergo lex fidelibus non eſt abrogata?* Quaſi ſummus vir ita ſtulte ſapiat, ut ſic argumentetur. Eo ineptiarum redegit Cenſorem, quod de abrogatione auſit diſſertare, cum ne quidem quid abrogatio ſit, intelligat. Patiatur igitur ſe hoc doceri à nobis: vel potius ab antiquis Grammaticis ac Iuriſconſultis, è quibus nos iſta hauſimus. Apud Romanos idem in tollendis, quod in ferendis legibus ſolenne erat: quia ſeu ferenda eſſet lex, populus rogabatur, an ferri vellet; ſeu tollenda, rogabatur, an tolli eam placeret. Hinc rogari lex dicebatur, quæ ferebatur: quia magiſtratu interrogante ferebatur: ut dicit Ulp. Tit. 1. Regul. Eademque de cauſa abrogari dicebatur, cum antiquaretur: quod Græcis eſt ἀποψηφίζεσθαι τὸν νόμον. Ab eadem cauſa legi dicebatur derogari, cujus pars tolleretur. Paulus Diaconus ex Feſto: *Derogare proprie eſt, cum quid ex lege veteri, quo minus fiat, ſancitur lege nova; Derogare ergo detrahere eſt.* Græci id παραιτοφέρειν dicunt: hoc eſt, ut Budæus exponit, παρεγκλλειν νόμον φέρων: quaſi legem cum lege, & rogationem cum rogatione conferre. Hoc abrogationis & derogationis diſcrimen, etiam nos docet Modeſtinus in Tit. de Verb. & Rer. ſignif. leg. CII. "Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum "pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorſus tollitur. Subrogationem vero ab utroque iſtorum, & obrogationem ab omnibus his diferre, indicat Ulpianus Tit. 1. Reg. "Lex "aut Rogatur, id eſt fertur, aut abrogatur, id eſt, prior lex "tollitur: aut Derogatur, id eſt, pars primæ tollitur: aut "Subrogatur, id eſt, adjicitur aliquid primæ legi: aut "Obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege. Hinc Cicero lib. III. de Rep. apud Lactantium lib. VI. cap. VIII. "Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac a-"liquid licet, neque tota abrogari poteſt. Ita enim in Baſilienſi Betulei edit. optime expreſſum: pro quo, unius literæ errore, in antiquo Thomaſii codice legebatur, *Huic legi nec abrogari fas eſt.* Tria etiam iſta conjunxit Tullius epiſt. 1. lib. III. ad Art. Atque ex his ſatis liquet, in ſatisfactionis negotio actum Dei judicis non abrogationem eſſe, ſed obrogationem: nec enim lex tota tollitur, quæ abrogatio foret; ſed manet lex, quod ad quoſdam; quod vero ad alios, tollitur ejus affectus, eoque diſpenſatio, relaxatio,

obrogatio hic locum habet. Spissus etiam ille est error, cum, nec sibi quidem constans, eundem actum dicit esse legis executionem, & abrogationem: quo nihil dici potuit magis ἀσύστατον. Audiat Ciceronem epist. I. lib. III. ad Att. *Vides nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quæ abrogantur.*

Præterea negat Grotius, dispensationem illam, esse interpretationem legis κατ' ἔπεικειαν. *Siquidem ea interpretatio ostendit aliquod factum, aut personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam.* Hic iterum Censor: *Quæ hæc*, inquit, *argutia est?* Equidem discrimen inter dispensationem, & interpretationem legis κατ' ἐπείκειαν, non intelligi à censore, minime miror, utpote in istis rebus neutiquam versato: neque etiam hoc in eo culpo: sed illud non solum miror, verum etiam vehementer reprehendo, quod, quæ non didicit, tanto cum supercilio attingit. Sed quod factum est, infectum fieri non potest. Quod vero potest, saltem ne gravetur nunc,

Aures vacivas si sint, animum advertere.

Dupliciter fit, ut aliquis, verbis legis non exemptus, effectui eximatur per interpretationem κατ' ἐπείκειαν, & per relaxationem vinculi legalis. Imperitiores confundere ista solent, quæ tamen & à Iurisconsultis politioribus, & à Thoma Aquinate, ac Scholasticis, optima ratione, nec sine usu discriminantur. Actus ἐπιεικείας, est correctio legis, qua aliquid ei deest, propterea quod generatim loquitur: ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου: ut optime explicat Aristoteles lib. v. Nicomachiorum cap. xv. Leges enim ob τὸ ἀόριστον τῆς ὕλης universalibus verbis concipiuntur; atque inde evenit, ut sæpe occurrat ea rerum ἀοριστία, quam certum sit, utcumque verba late pateant, mente legis primitiva non contineri. Declaravit hoc Grotius apposito exemplo ex sacris literis, de lege, quæ Sabbato operari vetat. Quamvis enim lex ista, religionis ac misericordiæ opera verbis non excipit; ea ipsa tamen, mente ac proposito excludit: ita ut ab initio latæ legis, cuilibet æquo æstimatori liquere potuerit, legem minus late, quam verba præ se ferunt, intelligi oportere. At aliter cum eo comparatum est, qui lege solvitur, sive à legis vinculo relaxatur. Is enim ab initio, & verbis & sententia legis fuit comprehensus. Sane ἐπείκειαν adhibere cujusvis est: at lege solvere, solius est legislatoris, aut cui νομοθέτης id ipsum concessit. Recte igitur à Grotio dictum fuit, relaxationem

sive

sive dispensationem, hoc est, solutionem aliquorum à lege, locum hic habere: non autem interpretationem per æquitatem. Nam apertum est, agere eum de liberatione nostri à pœnis, quos lex puniri præcipiebat. Quibus pœnis quod liberamur, non inde est, quod legis generalitas non æque nos ac cæteros comprehendat: sed quia Deus, legis vinculum, quod ad nos, relaxet. Nihil his clarius, nihil certius, nedum reprehendi mereatur. "At, inquit "Censor, Interpretatio per ἐπιείκειαν, non necessario ostendit factum aut personam, sub' legis obligatione nunquam fuisse comprehensam: sed hoc ostendit, legis obligationem, quæ erat ad mortem, ab omnibus hominibus Dei filiis adoptivis, in unam personam, puta in filium Dei unigenitum Jesum Christum, fuisse translatam. Sed iterum immane quantum errat. Neque enim interpretatio legis, potest esse pœnæ tralatio: neque interpreta io legis primitivæ, potest ostendere pœnæ tralationem siquidem legis hujus interpres, talem ejus sententiam esse monstrat, ut omnes nos comprehendat: at non ostendit, quid postea facturus sit legislator.

Novum deinde argumentum ponit, quo *Grotii assertionem perire* confidenter jactat. *Ostendit*, inquit, *dispensatio divina personam Iesu Christi, qui sub obligatione legis ad mortem sive pœnam non fuit comprehensus, quia ipse legem non est transgressus: nostri autem causa, qui sub legis obligatione eramus, legi factus est obnoxius.* Quid hoc ad rem? Christus enim lege illa, quæ peccatorem subjiciebat pœnis, neque secundum mentem, neque secundum verba, tenebatur: ita ut interpretatio κατ' ἐπιείκειαν, quæ generalitatem τῶ ῥητῶ restringit κατὰ διάνοιαν, in ipso locum habere non possit. Quod igitur ipse pro nobis subiit legis pœnam, mutationem à legislatore circa legem esse factam ostendit: non autem arguit verborum legis interpretationem. Aliud nempe est ostendere ἀπλῶς, personam sub legis obligatione non comprehendi: aliud, ostendere id per interpretationem, quæ fiat κατ' ἐπιείκειαν. Pergens ille, *Dispensatio* inquit, *quid est, nisi legis per ἐπιείκειαν interpretatio, abrogatio executio?* Imo vero dispensatio (ut recte eam Grotius definit pag. 71.) est actus superioris, quo legis manentis obligatio, circa quasdam personas aut res tollitur. Si legis manentis, non ergo abrogatæ, hoc est, in totum abolitæ. Si item obligatio tollitur, non contingit executio legis, ὡς κεῖ. Adhæc, si ea tollitur, prius obligationem fuisse

neceſſe eſt: quod in interpretatione κατ' ἐπείκειαν locum non habet: quandoquidem ibi ab initio nulla fuit obligatio, etſi id verba legis præ ſe ferre videbantur. Nec diffitemur, ἐπείκειαν etiam latius ſumi, ut clementiam quoque illam, ex qua diſpenſationes oriuntur, includat. Hoc enim oſtendit iſte Sopatri locus, quem adduxit Grotius pag 77. Sed in diſputationibus ἀκριβῶς loquendum eſt. Proprie autem, quid ἐπείκεια ſit, diximus ex Ariſtotele, quem cæteri ſequuntur. Præterea non de quavis ἐπιεικείᾳ hic agimus, ſed ea, quæ conſiſtit in verbis legis interpretandis: quæ circa eundem actum cum diſpenſatione συμπίπτειν nequit, non magis ſane, quam fieri poteſt, ut ingenuus qui ſit, is jure manumittatur.

CAP. XXVIII.

Probatur multos & veteris & recentis eccleſiæ doctores, non aliam ſatisfactionis neceſſitatem agnoviſſe, quam ratione decreti divini.

PErduxit nos ſeries nunc ad quæſtionem ultimam, An lex pœnalis ſit relaxabilis. Quod cum affirmat Grotius, apertum eſt loqui eum de lege illa, quam his verbis expreſſit: Omnis homo peccans, pœnam ferat mortis æternæ. Legem iſtam potuiſſe relaxari, argumento invicto eſt quod fuit relaxata. Sed objici potuit ex lege, ὡς χρῆν, agi oportuiſſe, tum quia naturale ſit puniri eum, qui deliquit: tum quia veracitas Dei exigere hoc videatur, ut comminatio, ita uti pronunciata eſt, adimpleatur. At utrunque ita reſpondet Grotius, ut neutrum impugnet cenſor. Sed aliam hic quæſtionem admiſcet: An Deus, non accepta ſatisfactione, ſontes potuerit dimittere impunitos. Hoc contendere Grotium, ſibi perſuadet, & quaſi ea ſententia nova ſit in Eccleſia Dei, non dubitat hoc nomine indigne atque illiberaliter admodum increpare virum illum, ad cujus laudes non adſpirat, præcipuum ſane inter eruditos non ſuæ modo Bataviæ, ſed totius Belgicæ ornamentum. Sed audiamus cenſoriæ "verbera linguæ: Hic, inquit, niſi me "fallit conjectura, in gravem apud Theologos bonos re"prehenſionem incurret Dn. Grotius, quod ipſe luriſcon"ſultus magni apud omnes nominis, advocatum acturus "fidei Catholicæ, illud adverſario ſuo Socino largiatur, "quod hactenus ſincerorum Theologorum largitus eſt nemo.

"mo. Liberalis sit Dn. Grotius erga adversarios suos in "causis forensibus: in causis Theologicis, ultra quam ju- "stum & rectum est, liberalem esse, est veritatis causam "prodere. Nempe magis asseverate nunc promit, quod cum conditione dixerat in præfatione, "Si Socino ite- "rum iterumq; sciens suppetias ferat, videri imitari eum, "qui osculo os veritatis prodidit. Sed si Servator noster Christus, cum dæmonia ejiceret, per Beelzebub ea ejicere dicebatur: æquum sane est, ut (cum discipulus non sit supra magistrum) etiam Grotius patienter ferat, sibi fortiter Christi causam tuenti, objectari, quasi Iudæ Iscariotæ similis sit, qui, diabolo instigante, prodidit Salvatorem. Nec magis illo Censoris schemate moveri oportet, cum Theologis bonis opponit fidei advocatum: eumque, quasi ultra peram sapiat, in forensibus, non Theologicis causis liberalem esse jubet. Sane verum est, eum, qui nunc Reip. Roterodamensi est à consiliis, & in Collegio delegatorum ab Ill. Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus Senator: hunc antea ob eximiam juris scientiam Hollandici fisci advocatum ab iisdem Ill. Ordinibus fuisse constitutum. Sed nec fori gloria, nec civiles ulli honores, ita ingenii magnitudinem, aut eruditionem ejus omnigenam attriverunt, ut non idem in rerum sacrarum intelligentia credatur à summis viris longe amplius Deo debere, quam multi, qui unum hoc agunt, ac docendo scribendoque nomen producunt suum. Quod cum dico, animus non est vel urbanatim, vel rusticatim, ut loquitur ille, tangere Censorem: qui quantus sit, aliis judicandum relinquo, qui illum melius norint: ipse interim facile concedo, esse virum majorem, quam eum metiremur ex hac Censura: ubi ille, seu affectus aciem ingenii præstrinxerint, seu, ut morem gereret amicis nimium in scribendo festinarit, seu alius casus tantopere præcipitem egerit: (mille enim modis humanus animus de gradu suo labefactatur) censuram adeo infeliciter exercet, ut non arbitrer quemquam controversiæ hujus intelligentem, & æquum Grotianorum verborum interpretem, reperturum unum aliquid, ubi is summum virum jure reprehenderit. Est hæc res nova & insolens plane: quando, ut in lege Mænia dicebat Varro: *Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neq; in mala non aliquod bonum* Sed, his missis, rem ipsam videamus.

Primum illud miror, quod dicat sincerorum Theologorum largiri hoc neminem, quod mox fatetur sensisse Wolfangum

fangum Muſculum, virum, ut ipſe appellat, ſummæ & eruditionis & authoritatis, & vere magnum. Sed magis etiam miror, quod de omnibus hoc pronunciet, cum tamen multi & antiquæ & recentis Eccleſiæ doctores reperiantur, qui illud, quod Cenſor ut falſum & inſolens averſatur, pro compertiſſima habuerint veritate. Quod ne facilius quam verius dixiſſe videar, en teſtes locupletes.

Cyprianus, vel alius potius probus & antiquus ſcriptor, lib. de Cardinalibus Chriſti operibus, ſerm. XIV. qui eſt de Paſſione Chriſti: "Hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis, "quis quæſtus; ut, utraque re cognita, peccatum appareat "& gratia; & quanti ponderis ſit, utrumque, rerum probet "effectus: cum originali morti nullum niſi in Chriſti mor"te potuerit eſſe remedium; nec reconciliare Deo potue"rit exules & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis "hujus ſingulare ſacrificium. Et ſine hoc holocauſto pote"rat Deus tantum condonaſſe peccatum; ſed facilitas ve"niæ, laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam, Chri"ſti vix cohibent paſſiones, quæ vix, ſceleratos animos à "voluptatum fece avellunt.

Athanaſius Tom. I. ſerm. 3. contra Arrianos p. 339. edit. Commel. Ἠδύνατο καὶ μὴ δι' ὅλου ἐπιδημήσαι, καὶ αὐτὸς μόνον εἰπεῖν ὁ θεὸς, καὶ λύσαι τὴν κατάραν· ἀλλὰ σκοπὸν ἦν τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ θεῖον νοεῖσθαι. "Poterat, ſine ullo adventu Chriſti, ſolummodo "loqui Deus, & ſolvere maledictionem. Cæterum ſpectan"dum eſt iſtuc, quid hominibus ſit utile, non quod ſitum "ſit in viribus Dei.

Auguſtinus lib. XIII. de Trinit. c. X. "Eos itaque qui di"cunt, Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homi"nes à miſeria mortalitatis hujus, ut unigenitum filium "Deum ſibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo "humanam animam & carnem, mortalemque factum, "mortem perpeti? parum eſt ſic refellere, ut iſtum modum, "quo nos per mediatorem Dei & hominum, hominem "Chriſtum Ieſum, Deus liberare dignatus eſt, aſſeramus bo"num & divinæ congruum dignitati: verum etiam ut o"ſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, "cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent, ſed ſanandæ "noſtræ miſeriæ, convenientiorem modum alium non "fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.

Et cap. XVI. ejuſdem lib. *Cur ergo non fieret mors Chriſti? Imo cur non prætermiſſis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos*

ſui

uti posset omnipotens, potißimum eligeretur ut fieret, ubi nec de divinitate ejus aliquid imminutum est aut mutatum, & de humanitate susceptâ tantum beneficii, collatum est hominibus.

Idem Augustin. libr. de Agone Christiano cap. XI. *Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei, homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus anima illa pateretur? quibus dicimus: poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret.*

Leo M. sermone de nativitate Christi: *Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potißimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentia, sed ratione justitiæ.*

Gregorius M. lib. XX. Moral. cap. XXVI. "Tunc plena "est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro ma- "ximo suscipere non metuimus, ut illum à passione libe- "remus. Quam videlicet passionis formam, mediator nobis "Dei & hominum dedit. Qui CUM POSSET NOBIS "ETIAM NON MORIENDO SUCCURRERE, sub- "venire tamen moriendo hominibus voluit. Quia nos vi- "delicet minus amasset, nisi & vulnera nostra suscipiendo; "nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod "à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Et mox: An "non IN DIVINITATIS SUÆ DIVITIIS nobis "invisibilis permanens, MIRIS NOS POTUIT VI- "TUTIBUS DITARE? Sed ut ad internas divitias re- "diret homo, foras apparere dignatus pauper Deus. Etiam Bernardus Clarævallensis, liberationis modum per satisfactionem magis fuisse convenientem ait, quam si absque ea Deus remisisset homini peccata: *Hoc*, inquit, *fuit de misericordia liberantis, ut quod congruebat remediis liberandi, justitia magis contra invasorem, quam potentia uteretur.* Interea agnoscit, potuisse etiam liberare non interveniente satisfactione. Sic enim ibidem; hoc est, Epist. CXC. ad Innocentium scribit adversus Petrum Abaillardum, cujus dogma, ab Orco revocavit Socinus: "Deinde (Abaillardus) laborans do- "cere & persuadere, quod sine injuria diaboli, jure Deus "profugum suum, si vellet, misereri, repetere, & solo "verbo eripere, posset (QUASI HOC QUIS DI- "FITEATUR) post multa aliquando infert: Quæ ita- "que necessitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, cum sola "jussione, sua divina miseratio, liberaret hominem à pec-

" cato posset; propter redemptionem nostram, Filium Dei " carne susceptâ tot & tantas inedias, opprobria, flagella, " sputa, denique ipsam crucis ignominiosam & asperri- " mam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum susti- " neret? Ad quæ Abaillardi verba ita respondet Bernardus: " Ratio hujus facti fuit dignatio facientis. QUIS NEGAT " omnipotenti ad manum fuisse ALIOS ET ALIOS " modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? " Verum hoc non præjudicat hujus, QUEM E MULTIS " ELEGIT, efficaciæ. ET FORTASSE IS PRÆ- " STAT, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus " nostri, tot & tantis gravaminibus reparatoris, fortius, & " vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum " novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gra- " tiam, quid CONGRUENTIÆ ad sapientiam, quid " decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes se " ipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis " altitudo. Post aliqua, hæc Abaillardi verba adducit: Cur " per sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Re- " spondet Bernardus: Ipsum interroga. Mihi scire licet, " quod ita: cur ita, non licet.

Eadem permultorum nostri seculi doctorum sententia fuit. Afferam è plurimis paucos. Calvinus Institutionis Christianæ lib. II. cap. XII parag. I. " Iam magnopere no- " stra interfuit, verum esse & Deum & hominem, qui me- " diator noster futurus esset. De necessitate si quæritur, non " simplex quidem, ut vulgo loquuntur, vel absoluta fuit: " sed manavit ex cœlesti decreto, unde pendebat hominum " salus. Cæterum quod nobis optimum est, statuit clemen- " tissimus pater.

Idem Comment. in Ioh. c. XV. 13. " Poterat nos Deus " verbo aut nutu redimere, nisi aliter nostra causa visum " esset, ut proprio & unigenito filio non parcens, testatum " faceret in ejus persona, quantam habeat salutis nostræ " curam.

Similiter Wolfangus Musculus in Loc. Comm. loco de Iustifie cap. III. Sed quia de Musculo Censor fatetur, verba ejus non apponemus.

Hier. Zanchius lib. II. de incarnatione cap. III. quæst. I. " Et si vero Deus servare nos poterat solo suo imperio, " peccata simpliciter ex sua misericordia condonando: " noluit tamen, sed sapientissime constituit, sicut justitia " ipsius exigebat, peccata non condonare, nisi vere per effu- " sionem sanguinis humani prius piarentur. Da-

Daniel Tilenus, Theologus Sedanensis, Disp. de Incarnatione Filii Dei: "Restituere sive recreare hominem, non "minus liberum fuit Deo, quam creare. Nulla enim actio- "num transeuntium necessaria est in Deo, nisi ex hypo- "thesi, ratione decreti. Cumque visum fuerit ipsi, pecca- "tum, quod quidem solo imperio, tanquam nubem tolle- "re poterat (Ies. XLIV. 22.) non nisi perfectæ & adæquatæ "satisfactionis interventu expiatum delere: hanc longe "sapientissimam invenit rationem, qua & justitiam suam "in repetenda pœna, & misericordiam in submittendo "vade, luculentissime demonstraret. Otto Casmannus "Anti-Socini sui part. II. cap. I. "Licet concedamus ju- "stitiam punientem peccata, & misericordiam ea condo- "nantem, utramque scilicet esse liberrimæ Dei voluntatis "effectum: tamen satisfactionem pro peccatis, ad condo- "nanda ea non esse ULLO MODO necessariam, non "concedimus. Necessitas enim satisfactionis, de qua hic "agimus, est HYPOTHETICA, propter immutabile "decretum Dei.

Wolfangus Franzius, SS. Theologiæ Doct. & Profess. in Academia Witebergensi, disput. de Sacrificiis XIV. Thesi LXIII. & LXIV: "Quæritur, utrum non Deus potuerit pri- "mos parentes & omnes homines ex mortis imperio exi- "mere & in gratiam recipere, sed Sola voluntate, citra "Mediatoris satisfactionem ullam. Et respondetur, OM- "NINO POTUISSET, nisi prius & antea protulisset "DECRETUM SUUM comminatorium. Ut igitur justi- "tiæ suæ prolatæ, eum tanta majestate tandem plus satis- "fieret, tum non amplius ex sola voluntate sua illud voluit "& potuit facere. Et quod hæc omnino vera sint, inde con- "stat, quia sese ita revelavit, quòd tunc omnino citra sa- "tisfactionem promissam hoc non fecerit. Simul etiam "voluit ostendere, quantopere irascatur peccatis, & quan- "topere toti generi humano vitanda sint peccata, ut etiam "viceversa, quanta sit ipsius erga homines creaturas suas "dilectio, quod nec proprio Filio voluit parcere, sed tradi- "dit illum pro nobis inimicis suis, cumprimis ne diabolus "haberet ansam calumniandi sine intermissione Deum, "quasi tam facilis fuisset, antea severus erga se ipsum, sed "jam & sui ipsius & suæ justitiæ ac etiam comminatorii "decreti ita oblitus fuisset.

Huc etiam inclinat non obscure Iacobus ad Portum, S. Theologiæ Professor in Academia Reipublicæ Bernensis, qui

qui ante quatuor hos annos, hoc est, biennio post luculentas Sibrandi Lubberti commentationes adversus Socinum editas in lucem, ipse etiam fidei catholicæ defensionem adversus Socinianas Ostorodii Institutiones Genevæ divulgavit. Ipsum audi cap. xxxv. sic scribentem: "Cum ipsa "Scriptura sacra, totum redemptionis mysterium, & uni"versam ejus administrationem, ac salutis tum dispensa"tionem, tum fundamentum, principium, medium, ac fi"nem, in liberrimam Dei voluntatem & δόξιαν, tan"quam primam ac supremam causam transferibat: ideo "hic pedem sisto, & in hoc speculum, fidei meæ adspe"ctum defigo, ne altius, quam fas est, evolando, in profun"diorem, quam meæ & aliorum saluti conducat, labyrin"thum se demergat: ac proinde quæstionem illam con"troversam, An, videlicet, satisfactio pro peccatis nostris "sit absolute necessaria, & dependeat non tantum à ne"cessitate & infallibili certitudine decreti divini, ac liberæ "ordinationis, verum etiam à necessitate naturæ divinæ, "sic, ut Deus, nullum peccatum condonare possit ulli, nisi "plena satisfactione pro eo à Christo accepta: aliis, qui"bus uberior Spiritus S. revelatio contigit, tractandam & "explicandam relinquo. Ego in libero illo decreto Dei & "gratuita executione ipsius, tantam φιλανθρωπίας opulen"tiam, tantumque misericordiæ & gratiæ divinæ thesau"rum invenio, ut habeat fides mea, quod contempletur, "quod miretur, & in quo acquiescat, nec penetrare altius "desideret: quod tamen absque præjudicio dictum, neque "derogatum quicquam velim iis, quæ à præstantissimis at"que clarissimis Viris hac de re scripta exstant. Atque hi quidem, sententiam suam monumentis publicis consignarunt. Adjungam etiam unum alterum, qui judicium suum literis perscripserunt.

Reverendissimus Ioannes, Coventriensis & Lichfieldensis episcopus, epistola sua ad Ampl. Grotium: *Quæsivit à me D. V. aliquid de hujusmodi satisfactionis & redemptionis nostræ necessitate: de qua, nos in sententia Augustini acquievimus; non defuisse Deo pro sua omnipotentia & sapientia alios modos possibiles: sed hunc convenientissimum esse visum.*

Cl. V. Antonius Tysius literis ad amplissimum Sandium: *Cum rectorem hunc Deum, ut justitia sua convenientissime agentem* (Grotius) *inducat: idque forte secundum B. Augustinum lib.* XIII. *cap.* X. *de Trinit. qui convenientiorem*

alium

alium modum nec fuisse, nec esse oportuisse asserit: sane & hoc principio firmiter everti Socinianam blasphemiam arbitror.

Atque hæc judicia tum antiquorum Patrum, tum reformatæ Ecclesiæ Clarissimorum luminum satis ostendunt: longissime à vero abesse, quod Censor contendit, Theologum sincerum neminem, istud concedere, Deum citra satisfactionem condonare peccata potuisse. Nam impudens sit qui neget, à Socini dogmate alienos fuisse tot veteris Ecclesiæ doctores, etiam magnum Athanasium & Augustinum: tot nostri seculi præclare de Ecclesia partim meritos viros, etiam magnum Calvinum, partim adhuc merentes. Atqui plerique omnes docent, quod neminem dicere Censor putavit: & qui minimum ex iis dicunt, satis ostendunt, in hanc se magis inclinare sententiam, aut saltem existimare, absque dogmate de absoluta satisfactionis necessitate, sufficienter defendi Catholicam fidem adversus Socinum. Quid quod, ut ἐν παρέργῳ hoc dicamus, etiam in Ecclesia Romana, idem Scholastici senserunt? Ut Thomas p. 3. qu. 46. art. 2. "Quod Deus posset sine satisfactione hominis, remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem. Biel. 3. sent. dist. 20. qu. un. Quod possit Deus remittere peccatum per solam non imputationem: ac proinde rationes Anselmi in libris, Cur Deus homo, nihil probare, nisi præsuppositâ divina ordinatione. Similiter Petrus Tataretus in iv. sentent. dist. xv. fol. 524. Nostroque seculo non solum Antonius Possevinus lib. x. biblioth. selectæ cap. ix. atque alii extra ordinem, sed illi ipsi, qui contra αὐτόσχεδιον Socini, Abaillardum, vel ipsum Socinum atque ejus asseclas, eruditos commentarios edolarunt, nullam de hoc vel Abaillardo, vel Socinianis controversiam movent, sed in Augustini sententia acquiescunt. Audiamus Joannem Driedonem, qui, libro de captivitate & redemptione generis humani, Abaillardi sententiam ex Bernardo exponit, quæ pro eo dici poterant, opponit, solideque omnibus occurrit. Verba ejus inter alia hæc sunt. Tract. III. fol. 69. "Quamvis alius modus liberandi genus humanum Deo fuerat possibilis, non tamen inde consequens est, quod iste fuerit, aut irrationabilis, aut supervacuus. Continuo quatuor causas adjungit, cur modus iste, divinæ sapientiæ maxime fuerit cõsentaneus. Atque inter alia Augustini, hæc verba adducit: "Alius modus liberandi possibilis, Deo non defuit, sed sanandæ

" nandæ noſtræ miſeriæ convenientior modus non fuit,
" quam iſte, in quo nobis contulit & remedium, ac humi-
" litatis, patientiæ & dilectionis præbuit exemplum. Et
aliquibus interjectis ait idem Driedo: " Deus (ut inquiunt
" Auguſtinus & Bernardus) quanquam ſecundum ſuam
" benignitatẽ ſapientiam, & juſtitiam potuiſſet opus iſtud
" redemptionis aliter, ſicuti placuiſſet, perficere; placuit ta-
" men ei, potius hominem ſibi reconciliare eo modo & or-
" dine, quo noverat illum cecidiſſe, ut quemadmodum A-
" dam in mortem cecidit per Evam feminam; ita rurſus
" ſpem vitæ accipiat per feminam Mariam. Et poſt aliqua
" multa: Siroges, cur hoc modo potius quam modis aliis
" voluerit ſapientiam ſuam, juſtitiam & miſericordiam de-
" clarare, cum alius modus hæc eadem declarandi poſſibi-
" lis illi non defuerit? Reſpondet Bernardus: Mihi, inquit,
" ſcire licet, quod ita fecerit: ſed cur hoc modo, & non ali-
" ter fecerit, mihi curioſe ſcrutari non licet. Quomodocun-
" que aliter feciſſet, inquit Auguſtinus, ſemper ſtulta crea-
" tura diceret, Cur iſto modo, & non aliter fecit, qui innu-
" meros apud ſe modos tenet? O homo, tu quis es, qui con-
" tra reſpondeas Deo? Et poſt nonnulla: Convenientius
" erat divinæ ſapientiæ ita miſericorditer hominem à pote-
" ſtate diaboli liberare, ut in ipſa liberatione ſervaretur ju-
" ſtitia quædam ſapienter in puniendo peccatum, quantum
" ſatis eſt Deo irato, ſecundum ordinem ſuæ juſtitiæ pecca-
" tum non dimittentis inultum: divina tamen juſtitia non
" ita abſolute erat ad hunc faciendi modum coarctata: quia
" &, ipſa manente ſalva, Deus ſi ſecundum ſuam benigni-
" tatem aliter & abſque ſatisfactione hominem liberare
" voluiſſet, decenter utique & juſte feciſſet, ex ſua miſeri-
" cordia pro nihilo, id eſt, abſque pretio ſanguinis omnia
" peccata delens, & hominem in priorem ſtatũ conſtituens.
Exinde occurrit iis, quæ adverſus hanc ſententiam objici
ſolent. Inter alia ad illud, quod ſi peccatum dimitteretur
impunitum, Deus foret injuſtus, reſpondet hoc pacto:
" Deus cum ſit judex & dominus omnium, non eſt intelli-
" gendus quemadmodum alius quiſpiam judex, qui ſer-
" vus eſt, atque ſubjectus juſtitiæ, ſed eſt ipſa juſtitia, &
" fons ac plenitudo, conſummatio & finis omnis juſtitiæ:
" & idcirco ipſe non eſt in ullam aliam juſtitiam ordinabi-
" lis. Quamobrem neque poteſt, aut eſſe, aut fieri debitor
" ulli juſtitiæ, ſed creaturæ univerſæ debitores ſunt ipſi.
" Proinde & ipſe, ſi injuriam in ſe commiſſam abſque ſatiſ-

factione

"factione sibi facta remittat, non facit neque contra ul-
"lam justitiam, neque ulli alteri injuriam. Plura ibidem in
hanc mentem legere est.

Similiter Martinus Smiglecius lib. de Christi satisfactione scripti adversus Valentinum Smalcium cap. xi. "Potuerat Deus nobis clementiam suam alia ratione, hoc est sine "ulla redemptione ostendere: at statuit, eam potius in "redemptione exhibere: tali inquam redemptione quæ "esset divinæ in nos charitatis & gratiæ plenissima. Et ibidem: Utrumque Deus potuit, & absque ulla satisfactione "& cum satisfactione peccata nobis remittere. De facto "tamen elegit hoc posterius, ut non nisi accepta satisfactione peccata hominibus remitteret: ut ea ratione & "justitiam suam in peccatis vindicandis, & charitatem in "remittendis per tale medium, quod immensam Dei charitatem continet, declararet. Majoris, inquit, clementiæ "fuisset sine satisfactione remittere. At non minoris clementiæ erat, talem redemptionem summa charitate plenam charitate procurare, & simul justitiam clementiamque demonstrare. Etsi enim in Deo talis justitia non sit, "qua teneatur absolute peccata vindicare: (potest enim "tanquam Dominus, jure suo cedere, & offensas voluntate "sua simplici remittere:) tamen si jus suum, ut potest, exigere velit, certum est talem justitiam in Deo esse, qua possit peccatis reddere pœnam, quæ illis juste debetur. Huic "justitiæ satisfieri non nisi Christi sanguine potuit, cum "nullus alius sanguis vim habuerit ullam ad tollenda peccata, & emundandas conscientias nostras: ut probat "Paulus in epist. ad Hebræos. Ut igitur intelligerent homines, peccati gravitatem esse tantam, ut non possit, nisi "sanguine filii Dei, redimi; nec ulla satisfactio alia par ei "esse possit: exegit à Christo satisfactionem, ut ita & peccata impunita non essent, & homines à peccatis tanto "magis deterrerentur.

Ex his constare omnibus potest, etiamsi id Grotius dixisset, quod Censor putavit, nihil tamen causæ fuisse, cur tantopere ei insultaret: nunc vero ne id quidem dixit: sed cum pro utraque opinione rationes non adspernandas adferri videret; utrumque item viros magnos stare animadverteret: sententiam privatam communi ac catholicæ fidei permiscere nec voluit, nec debuit. Non bene castra sua tutatur, qui ex tali præsidio dimicat. Ut verum maxime esset, tamen consultum non esset, eo, quod tantos viros dissen-

dissentientes habet, hostes aggredi argumento. Audiamus, quid hac de re literis suis judicarit Clarissimus Sandius, cujus superius etiam fecimus mentionem: "Opinor, inquit, "quod tandem inter nostræ Ecclesiæ doctores sit prævalitura hypothesis, quæ statuit, ante decretum maximam "convenientiam, in decernendo libertatem ac sapientiam, "ac post decretum, necessitatem, rejecta receptiori nostro "rum doctorum sententia de necessitate justitiæ divinæ, "quæ sit prior decreto; quæ sane hypothesis in hac Soci"niana controversia nimis periculose pro statuminanda "ὀρθοδοξία inducitur. Censor tamen, quia Grotius, hoc sententiæ suæ fundamentum non ponit, eo, Socino ait largiri, quod non oportet, atque adeo causam prodere veritatis. Atqui nihil is adversario largitur, qui illa, de quibus adhuc disputatur inter Catholicos, in medio relinquit: Sed qui præclarum fidei nostræ dogma positionibus superstruit vel non satis firmis, vel saltem non evidentibus satis: is potius, quod falso in Grotio accusat Censor, causam prodit veritatis.

CAP. XXIX.

Exponitur, cujusmodi lex relaxabilis sit, cujusmodi non sit: quantum istem differt inter ea, qua Grotius, & qua Musculus dixit: præterea quantum inter Grotii & Gittichii verba intersit. Qua omnia Censor confundit.

SEd videamus, quid moveret Censorem, ut hoc, Grotium dixisse putaret, quod non dixit. *Grotius*, inquit, *legem Dei positivam & pœnalem, absolute esse relaxabilem dicit*, pag 73. 74. Dicit sane: sed id cum facit, non hoc vult, omni ex parte esse relaxabilem: verum illud *absolute* opponit considerationi hypotheticæ decreti definiti: ut sententia ejus hæc sit: Si decretum de non revocando, quod statuerat, removeatur (quale decretum de quibusdam legibus non mutandis Deus fecit) leges positivæ, qua positivæ, sunt relaxabiles. Et hoc quidem universe dicit. Nec enim in specie agit Grotius de lege tali, *Peccata puniantur, nisi intercedat satisfactio*: sed de lege hac: *Omnis homo peccans, pœnam ferat mortis æternæ.* Locus ipse, quem Censor citat ex pag. 74. clare hoc expressit: *Objici potest, justum esse naturaliter*, IPSOS SONTES PUNIRI *pœna tali, qua delicto respondeat: ac proinde id non subjacere libero arbitrio, neque* ESSE RELAXABILE. Respondet deinde Grotius

tlus per explicationem vocis *naturalis*, ac concludit; *ut puniatur* QUIVIS PECCATOR, *pœna* TALI, *quæ culpæ respondeat, non est necessarium simpliciter & universaliter, neque proprio naturale, sed naturæ satis conveniens: unde sequitur nihil obstare, quo minus lex,* HOC IPSUM *imperans, sit relaxabilis.* Hæc lex, quæ in omnium peccatorum personas directa est (de hac enim Grotius agit) quin relaxabilis sit, dubitare minime possumus, cum fuerit relaxata. Neque item potest negari, à libertimo Dei arbitrio proficiscí, quod eam relaxarit, hoc est, quod, cum punire nos posset, sapientissimo modo à pœna nos liberarit. Quare & certum est, hoc ipsum eidem subjectum fuisse arbitrio ante factum decretum. Musculum excusat Censor isthoc dicentem, quod Grotius nec ait, nec negat. Et Grotium tamen accusare non veretur: quæ si non iniquissima est αὐτοσχεδιασία, quid nomen hoc mereatur, fateor me non intelligere. Atque hoc ipsum magis elucebit, si in cæteris etiam, quantum interfit, videamus. Musculus enim, creditoris similitudine suam stabilit sententiam; quod arripit Socinus. P. 60. 74. 106. Grotius vero, non posse similitudinem illam eo usque extendi, ut peccata punire & non punire, sit ἀδιάφορον, & dixit sæpe, & argumentis evicit. Grotius etiam, causam, gravissimam & justissimam, cur Deus satisfactionem exegerit, fuisse agnoscit: addit, nullum dari potuisse modum convenientiorem: quod Musculus non dicit. Et tamen vapulat. *Atqui*, inquit Censor, *Dn. Grotius, cum irrelaxabile dixisset esse, vel absolute, vel ex hypothesi, neutro modo legem pœnalem irrelaxabilem dici posse statuit.* Ita sane, illam legem, quæ pœnam in omnes dirigit peccatores. Nam ea absolute irrelaxabilis non est, quia alioqui ex vi materiæ impossibile esset, peccatori cuiquam contingere liberationē. neque, irrelaxabilis dici potest ex hypothesi sive ex vi decreti irrevocabilis: quia tum sequeretur, Deum, liberando nos, revocasse decretum irrevocabile: quod mutationi & inconstantiæ Deum faceret obnoxium. De lege vero satisfactionem aliquam sive commutationem requirente, Grotius hoc loco non agit. Nam decretum de hac satisfactione certum & irrevocabile esse, vel cœco liquet: ac disertim id agnoscit Grotius p. 122. Ex isto igitur decreto sequitur necessitas: quia quæ Deus definite decernit, ea relaxari non possunt, vel κυριολογως loquendo, nunquam relaxantur. Nam decretum Dei non quidem tollit potentias rerum,

rerum, ſed tamen actum removet: eoque non facit, ut lex in ſe irrelaxabilis fiat; facit tamen, ut ne relaxetur unquam. Sed de loquendi ratione, dum de ſententia conſtet, non controverſabimur. Grotium ergo calumniatur Cenſor, dum decretum, quo Deus aut ſimpliciter, aut digniſſime ſibi per Chriſtum ſatisfieri voluit, vel maligne, vel temere confundit cum lege illa, quæ in perſonas peccatorum dirigitur, & quam non indefinite, aut irrevocabiliter in omnes latam eſſe, ex ipſo conſtat eventu. Sed quomodo Cenſori neſcio quid perturbationis, judicium expectoraverit, vel id quod ſequitur oſtendit: *Sciré ego velim, quid hoc ſit aliud, quam quod Gitrichius Socini diſcipulus ſcribit, ſatisfactionem pro peccatis noſtris per pœnarum in ſe derivatarum ſolutionem reſpectu Dei impoſſibilem fuiſſe. Certe fuit impoſſibilis, ſi lex pœnalis abſolute, ut inquit Dn. Grotius, fuit relaxabilis.* Primum hinc apparet, derivationem pœnarum à Socinianis negari, eoque neo agnoſcere eos, Chriſtum pro nobis pœnas tuliſſe; quod tamen Socino Cenſor adſcribit. Deinde loquitur Grotius de ISTA lege pœnali, quæ peccatorem ad pœnam deſignat. Pronomen n. ISTA addiderat, ut quaſi δεικτικῶς indicaret legem ita conceptam: Omnis peccator pœnam ferat mortis æternæ. Hanc igitur legem tum abſolute ſive quod ad materiam: tum ex hypotheſi decreti divini, relaxabilem fuiſſe ait: minime vero agit de exigendæ ſatisfactionis decreto: quod ipſum lex proprie dici non poteſt, cum ſit diſpenſatio legis. Adde quod ordo ſcriptionis Grotianæ clare iſta ſeparat. Num enim lex iſta relaxabilis fuerit, tractat cap. III. An vero cauſa fuerit exigendæ ſatisfactionis, & quæ fuerit, exponit cap. V. Sed pone dixiſſe Grotium, quod non plane dixit: Deum, nulla ſatisfactione accepta, potuiſſe nobis peccata noſtra condonare: (pro quo Cenſor à Grotio poſitum ait, legem pœnalem fuiſſe relaxabilem, quæ duo plurimum differre jam vidimus) eone ſequetur, idem hoc eſſe ac quod Gittichius ſcripſit, Satisfactionem eſſe impoſſibilem? Hæne, inquam, enunciationes idem valent?

Poſſibile Deo fuit ſatisfactionem non accipere:

Et,

Impoſſibile Deo fuit accipere ſatisfactionem. Plane hoc tale eſt ac ſi dicat, idem eſſe. Potuit à Deo mundus non condi, quod Dei indicat libertatem. Et, Non potuit à Deo mundus condi, Quod Deum arguit impotentiæ. Vel, ut Auguſtinus ait, lib. XX. de Civ. Dei cap. XXX. *Liberum arbitrium,*

trium, quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt, potuit non creare. Et, Non potuit Deus hominem creare liberi arbitrii. Quod qui Auguſtinum dixiſſe dicat, quia prius illud dixit, atrocem ſanctiſſimo epiſcopo injuriam facit. Item: Poſſum non ambulare, non mentiri, non navare operam ſtudiis. Et, Non poſſum horum facere quicquam, Ovum enim ovo ſimilius non eſt, quam his ſunt iſta, Potuit Deus non liberare nos per ſatisfactionem, Et, Deus non potuit nos per ſatisfactionem liberare. Quæ tamen Ravenſpergero tantundem valent. Ut alius, cui cum Cenſore negotium eſſet, genuinum in illo frangeret, ſpiſſi adeo erroris iſtic convicto, ubi atrociſſime ſummum virum accuſabat! Unquamne tam infrunitum atque invenuſtum hominem reperiet Cenſor, cui ſolidi aliquid crepare hoc argumentum ſuum perſuadeat? Non dixerat Grotius, Potuiſſe nos à Deo liberari citra ſatisfactionem. Cenſor tamen dixiſſe comminiſcitur. Hoc ſatis non eſt. Mirifice inde colligit illud quod nullo in gradu eum eo habeat affinitatem. Tantundem, inquit, hoc eſt, ac ſi cum Sociniano illo Gittichio dicat, non potuiſſe nos à Deo liberari per ſatisfactionem: quod impium dogma à Grotio ſolide refellitur, & ab eo quod dixit, vel etiam dixiſſe dicitur, amplius diſtat, quam Sarmatiæ juga ab inſula Batavorum. Si porro in hunc modum indicta pro dictis habere, & quidvis è quovis colligere licebit: quis in poſterum tam caute ſapiet, ut in Socinianorum gregem conjiciendus non ſit? Et tamen ſerpit indies hæc gangræna, magno cum dolore eorum, quibus unice cordi eſt pax Eccleſiæ. Neque enim talibus non poteſt non ægre eſſe, quod homines in tantum fraternæ charitatis oblivi ſci videant, ut *Tros Rutuluſve fiat, nullo diſcrimine agentes*, etiam Catholicæ fidei retinentiſſimos, imo defenſores acerrimos, & ſermonibus, & libris ſuis Socinianiſmi ſuſpectos reddere adlaborent: tantum quia non in omnia illorum verba jurent, aut fortaſſe ſtudiis eorum, Eccleſiæ Reipublicæque interdum damnoſis, vel tantillum incommodare credantur.

CAP. XXX.

Expenditur argumentum, quo Cenſor probat, ſatisfactionis neceſſitatem fluere ex natura divina: & quædam adferuntur, quibus veriſimile fiat, pendere eam potius à decreto divino.

POſtea ad Muſculum redit Cenſor: *Miſſam* inquit, *faciam controverſiam hanc, ubi de ſententia Muſculi panca monuero.*

nuero. Musculus vir magnus fuit, ab omni tamen errore, non magis ac alii viri pii, liber aut immunis. Necessitatem satisfactionis Christi pro peccatis, ipse sancte credidit: eam tamen non ex absoluta Dei natura, sed libero decreto pendere existimavit. Qui error tolerabilis est. Si Musculus tolerabiliter erravit, Grotiusne in tolerabiliter, qui ne hoc quidem dixit; sed totum istud reliquit indefinitum? Cæterum si sufficit cum Musculo affirmare necessitatem ex decreto, plane eam pleneque statuit Grotius. Credit enim omnino, certo & irrevocabili decreto statuisse Deum, non remittere peccata, nisi accepta satisfactione: addit, ut ita decerneret, convenientissimum fuisse & Deo, & nobis. Quod si etiam necessitatem absolutam ex Dei natura ante decretum, probare Censor possit, facile Grotium habiturus est assensorem. Argumentum unicum adferri ab eo video, his verbis; *Quod si Deus, minus haberet libertatis in peccatorum remissione, quam creditor in remittendo debito, propterea quod peccata sine justitiæ suæ offensione condonare nequeat: sane & in eo minus liber erit, qui, bonus & verax existens, nullo pacto sine naturæ suæ læsione possit esse malus & mendax. Causa hæc est, quia in utroque est eadem similitudo. Nam qualis in peccatorum remissione absque justitiæ Dei læsione impossibilitas est, talis etiam plane Deo inest in conversione bonitatis, veritatisq; ipsius in malitiam, & mendacium.* Quibus in verbis duo facit. Primum sibi objicit istud argumentum Socini: Nisi Deus peccata possit remittere sine offensione justitiæ, minus Deo libertatis fore in remittendis peccatis, quam creditori est in creditis exigendis. Sed istud sane argumentum, facile ex eo solvitur, quod (uti Grotius non frustra ostendit) Deus ratione pœnæ creditor non est. Nam inde liquet, longe graviores Deo fuisse exigendæ pœnæ causas, quam crediti exigendi est creditoribus. Atque hoc contra Socinum satis est, nec necesse fuit ultra procedere. At Censor, mirum, cum absolutum exigendæ satisfactionis causam adstruat, simul tamen spectare in hoc ipso Deum jubet, ut creditorem: quod, cum natura crediti consistere non potest. Præterea in iisdem verbis Censor, tale pro sententia sua adfert argumentum: quod quemadmodum Deus per naturam nequit esse mendax aut malus, ita nec peccata queat remittere, nisi satisfactione adhibita: nam alioqui, inquit, remissio justitiam læderet. Sed hoc est quod quæritur; non, an justum sit satisfactionem accipi, sed, an injustum sit non accipi. Non enim sequitur, si misericors est Deus hoc vel illud agendo, eo immisericordem fore non agendo. Sæpe enim inter ista est medium aliquod.

quod. Parentes certe, & Reges, minime ſe obſtrictos putant, ut pro omnibus delictis ſatisfactionē acci᷑iant. Scio, quanto perfectior ſit Dei juſtitia, quam hominum: attamen mens humana impreſſas habet notitias, divinæ naturæ imagines. Præterea omne agens, quod agit naturaliter, agit in objectum ſuæ actionis naturaliter receptivum: quare ſi punire, eſſet naturale (illa nimirum acceptione, quæ ſecum fert neceſſitatem) non poſſit actio talis de perſona peccatoris in perſonam alteram tranſire. Neque etiam ſapientia Dei, quæ in hoc negotio maxime elucet, locum habitura videtur, ſi per naturam nequiſſet Deus aliter agere. Sapientia enim, eſt electrix mediorum. Maxime autem miror eos, qui, ejus libertatem divinam eo uſq; extendunt, ut decernere potuerit homini pœnas æternas, & graviſſimas, etiam citra peccati rationem; eoſdem, Deo in partem alteram, tantillum libertatis non concedere, ut culpam ullam citra ſatisfactionem poſſet condonare: cum tamen hoc non tam clare pugnet cum juſtitia, quam illud pugnare videtur cum bonitate divina. Ego hæc non dico, ut quicquam aſſeram: ſed ſiquis, id, quod Grotius decidere auſus non eſt, cum Cenſore voluerit definire: ei cogitandum cenſeo, quomodo, quæ contra objecimus, ſolvi poſſint, & quibus id argumentis probetur, quod veteris Eccleſiæ doctores, multi etiam præſtantes ſeculi noſtri ſcriptores, aut ignoraverunt, aut etiam negarunt.

FINIS.

SUMMA EORUM

Quæ in Libro tractantur.

CAPUT I.

Ostenditur Controversiæ status, & vera sententia Scripturæ verbis explicatur. Pag. 1

Sententiæ defensæ summa. 2

Ejusdem per causas explicatio. ib.

Causſa efficiens prior, Deus. ib.

Causſa impulsiva prior, Dei φιλανθρωπία. ib.

Causſa impulsiva altera, peccata hominum pœnæ mærentia. 3

Hanc causſam impulsivam significari per præpositionem διὰ, id est, propter. ib.

Item per præpositiones ὑπὲρ & περὶ, ut quæ non minus impulsivam quam finalem causſam denotent, ut & Latinum pro & Hebræum min. 4.5

Phrasi propter peccata, significari semper causſam impulsivam, & quidem meritoriam, cum solutione ad objecta loca, 1 Reg. 14. 16. & Psalm. 39 12. 6.7

Causſam aliquam esse antecedentem mortis Christi probatur ex Gal. 2. 21. 8

Causſa efficiens altera, Christus. 10

Causſa impulsiva, Christi φιλανθρωπία. ib.

Materia, cruciatus interni atque externi, præcipue vero mors ipsa cruenta atque ignominiosa ib. & 11

Loca indicantia morti Christi peculiarem effectum tribuendum esse. ib. & 12. 13

Forma, pœnarum pro peccatis nostris persolutio. 14

Hac phrasi ferre peccatum, significari pœnam ferre peccati. ib. & 15

Id

Id Christo tribui, 1 Pet. 2.24. *qui locus vindicatur ab objectionibus.* ib & 16
Item per Esaiam 53.2 *qui locus itidem vindicatur.* 17.18
Idem significari, cum exigi peccatum à Christo dicitur, Esaias 53. 6,7. *qui locus itidem vindicatur, cum solutione ad objectum locum* Levitici 16.21,22, 19.20
Id-m etiam significari voce castigationis, quæ Christo applicatur, eodem Esaiæ *loco* 5.5.
Item cum Christus, positus aut factus peccatum dicitur, apud Esaiam *dicto loco* 10. *& Paulum*, 2 Cor. 5. 21. *qui loci vindicantur.* 24
Item cum Christus, factus maledictum dicitur, Gal. 3.13. *qui locus similiter vindicatur.* 25.26
Probatur id ex eo, quod mors omnis habeat pœnæ rationem, quod ipsum explicatur, & testimoniis confirmatur, cum solutione ad objectum locum, 1 Cor. 15. 27 &c.
Applicatur eodem, locus ex Lib. Sapientiæ, cap. 1. 11. 29
Collectio argumentorum pertinentium ad id, quod de forma dictum est. 30
Finis prior, divinæ justitiæ demonstratio, quod probatur ex loco Rom 3.25.26. 32
Justitiam Dei etiam in puniendo spectari, multis locis probatur. 33.34
Cur talis justitia hoc loco est intelligenda. ibid.
Finis alter, nostra impunitas. 36
Pertinere huc loca, quæ dicunt, nos sanguine Christi ab ira servari. 37.38
Per sanguinem contingere peccatorum remissionem. ibid.
Aut justificationem. ibid.
Aut mundationem, purgationem, lavationem, quarum phrasium interpretatio firmatur. 39
Probatur idem ex loco Esaiæ 53.5. ib.
Non quadrare his locis, Socini *interpretationes.* 40
Non primam, quæ est de testatione doctrinæ per mortem. ib.

Non

Non ſecundam, quæ eſt, de adepto per mortem jure condemnandi peccata. 41
Non tertiam, quæ eſt de exemplo patientiæ & obedientiæ præſtito in morte. 42
Non quartam, quæ eſt de fidei perſuaſione per mortem, quod refellitur argumentis. 43
Item loco Rom. 5. 10. 46
Et 2 Corinth. 5. 19, 20. ibid.
Et Johan. 3. 16. 47
Et Rom. 4. 25. *qui locus explicatur.* ib.
Collectio eorum, quæ ad fidem pertinent. ib. & 49

CAP. II.

QVomodo in hoc negotio Deus conſiderandus ſit: & oſtenditur conſiderandum ut rectorem. 49
Pœnas infligere, aut à pœnis aliquem liberare, primo & per ſe eſſe rectoris. 50
Quomodo vindicatio tribuatur privatis. ib.
Deum ergo hic ſpectandum, ut rectorem. 51
Non, ut judicem ſub lege conſtitutum. ib.
Nec, ut partem offenſam quod ſpecialiter probatur 52. &c.
Primo quia punire, non eſt actus competens parti offenſæ, qua tali. ib.
Non obſtare, quod parti offenſæ, exemplum Dei peccata remittentis præponitur. 55. 56
Secundo, quia naturaliter pars offenſa qua talis, nullum jus habet in pœna. 57
Diſtinctio debiti reſtitutionis, & debiti in pœnam. 59. 60
Non obſtare, quod Deus pœnam remittens, creditori comparatur, Matth. 18. v. 35. 61
Tertio, quia jus puniendi in rectore, non eſt jus abſoluti dominii, aut jus crediti. 62
Non obſtare, quod deberi pœnæ dicitur, & quid ſit vice creditoris in pœna. 64
Non evinci contrarium, per phraſin ἀφίναι peccata. 66

Neque, per vocem χαρίζεσθαι. 67
Nec, per Latinas phraſes hîc reſpondentes. 69.69

CAP. III.

QValis Dei ſit actus in hoc negotio, & oſtenditur eſſe legis relaxationem ſive diſpenſationem. 70
Actum hunc, eſſe juriſdictionis generaliter dictæ. ib.
Nempe, punitionem unius, ad impunitatem alteri conſequendam. 71
Simul cum legis diſpenſatione. ib.
Non eſſe hic, legis excuſationem. ib.
Non abrogationem. 72
Non interpretationem nudam. ib.
Quæ leges, ſint indiſpenſabiles abſolute aut ex hypotheſi. ib. &c.
Hanc, talem non eſſe. 73
Non obſtare, quod naturale eſſe dicatur, puniri ſontes, nec quod communicatio hic præceſſerit.
Fuiſſe tamen hanc legem, non facile diſpenſandam. 77.78

CAP. IV.

AN injuſtum ſit, Chriſtum puniri ob peccata noſtra: & oſtenditur non eſſe. 78
Verus ordo quæſtionum ad hanc materiam pertinentium: & primam eſſe quæſtionem, an juſtum fuerit, Chriſtum puniri ob peccata noſtra. ib.
Oſtenditur fuiſſe, quia non fuit injuſtum, Chriſtum graviſſime à Deo affligi ad mortem uſque. 79
Quia ſimpliciter injuſtum non eſt, ut quis puniatur ob peccata aliena, quod probatur Scripturæ authoritate. 80
(Solvitur locus apud Ezechielem 18. 20. (81
Et locus Deut. 24. 16.) ib.

Quia nec innocentem, ob aliena peccata puniri simpliciter injustum est. 82
Quia summa est nobiscum Christi conjunctio. 83
Quia ne id quidem injustum est, puniri innocentem ob culpas, quarum nocens impunitatem ferat. 84
His omnibus rectam rationem non obstare. 85
Quandoquidem de essentia pœnæ non est, infligi ei, qui peccavit. ib.
Necesse tamen est, ut actus, qui in pœnam ordinatur, & jam citra illam ordinationem, licitus fuerit. ib.
Non discrepare huic, communia gentium judicia. 87
Secundum quæ alii pro aliis puniti sunt, non tantum pœnis pecuniariis. 88
(*Quarum differentia à corporalibus allata refellitur.*) ib.
Verumetiam in corporalibus pœnis: sive ex sola personarum conjunctione, sive ex consensu solo 89
Solutio eorum, quæ ex jure Romano *allegantur contra pœnam ex consensu.* 91. 92
Item contra pœnam ex conjunctione. ib.
De Zaleuci *facto.* 94
Collectio hujus quæstionis, à summo rectore conjunctissimum nocenti, puniri juste pro peccato alieno; si actus, in quo pœna consistit, justus fuerit ex delicto ejus quæ punitur proprio, valido consensu ejus qui punitur; aut antecedente rectoris jure. 96
Hoc jus antecedens, fuisse penes Deum. 97
Accessisse Christi consensum: & quidem validum; quia jus in vitam suam habuerit. ibid.

CAP. V.

AN *sufficiens causa fuerit, quæ Deum moveret ad Christum pro nobis puniendum: & ostenditur fuisse.* 98
Causas esse etiam, ubi reddi non possint. (ibid.
Voluntatem Dei sæpe pro causa sufficere. (99
Non requiri causas tales, ex quibus sequatur, Deum aliter agere non potuisse. ib.

Causa, quare nobis voluerit remittere pœnas æternas, Dei bonitas erga homines, & cura conservandæ religionis. 101
Causa, cur Christus sit punitus, Dei odium adversus peccata. 102. &c.
Cura abstrahendi homines à peccato, ib.
Cura tuendi autoritatem legis latæ. ib.
Electam à Deo viam, qua plures proprietates testatas faceret. ib.
Optimam dispensationem esse, quæ sit compensando. 103
Dei amorem erga nos hinc optime colligi. 105. 106
Iustitiam, secundum quam pœnæ irrogantur, in Deo residere. ib.
Neque eo minus pœnas pleraſque libere irrogari. 107
Pœnam remittere sine causa, non æque liberum esse, atque est, creditum remittere. 108
Causam, antecedentem mortem Christi, esse meritum peccati, sed alieni. 109, 110

CAP. VI.

AN Deus voluerit Christum punire: & ostenditur voluisse: simulq; satisfactionis natura explicatur. 111
Loca Scripturæ, quibus ostenditur placuisse Deo, ut Christus puniatur. ib.
Non obstare exempla remissorum peccatorum sub veteri Testamento. 112
Neque promissiones sub eodem Testamento. 113
Remissionem pœnæ æternæ, nemini contigisse citra Christi respectum, ostenditur pluribus locis. ib.
Præsertim eo, qui est ad Hebræos 9. 25. qui explicatur. 114
Non obstare loca novi Testamenti de remissione. 116
Quod aliis locis collatis demonstratur. 117
Non obstare ipsam vocem remittendi. ib. *Quid sit remittere,* 118

Modi destruendæ obligationis explicantur. 119
Satisfactio in jure, quid sit. 120
Acceptilationis vocem huc non pertinere. 122
Satisfactionem cum remissione sequente non pugnare. 123
Remissionem data satisfactione contingere posse, & indiem & sub conditione. (ibid.
Non obstare his parabolam, Matth. 18. 82, 83. 124
Nec vocem χαρίζεσθαι, *ut quæ satisfactionem non excludat.* 127
Nec, quod in eo ipso Deus nobis proponatur imitandus. 130
Liberalitatem proprie dictam, hic locum non habere. 131
Sed beneficentiam, eamque duplicem: primum in admittenda inveniendaque solutione. 132
Deinde in impendendo filio ad eam solutionem peragendam. 133
Quomodo actio Christi, ad satisfactionem concurrat. 135

CAP. VII.

DE placatione & reconciliatione per mortem Christi facta. 137
Non esse quæstionem de nuda voce. ib.
Quatuor classes locutionum, quæ satisfactionem indicant. 138
Prima classis ad iræ aversionem pertinens. 139. &c.
Quo refertur vox ἱλασμὸς, *& vox* ἱλαστήριον, *cum solutione objectionum.* ib.
Item voces καταλλάσσειν, *&* ἀποκαταλλάσσειν. (142
Etiam ubi illis verbis dativus Deo jungitur. ib.
Locus Romanorum v. 10. *huc applicatus & vindicatus.* 143
Item 2 Cor. 5. 146
Item Ephes. 2.16. 148
Item Coloss. 1.20. ib.
Deum, ante decretum Christi mittendi, placatum nobis non recte dici. 153. 154

Recte vero placatum dici, posita Christi morte, quoad efficaciam. ib.
Posita autem hominis fide, & Christi intercessione placatum dici etiam quoad effectum. ib.
Reconciliationis voce, non excludi omnem præstationem. 155

CAP. VIII.

DE redemptione nostra per Christi mortem facta. 155
Secunda classis ad redemptionem pertinens. ib.
Vt cum Christus dicitur redemisse peccata nostra (cujus phraseos vera interpretatio vindicatur.) 157
Aut nos ipsos. ib.
Ad hanc redemptionem λύτρον requiri, ex proprietate vocis. 159
Et ex claro Scripturæ testimonio. 160
Non obstare, quod Moses & alii, redemisse populum dicantur. 161
Λύτρον, esse rem aut factum, quo movetur quispiam, aut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur. ibid
Vocem λύτρον, extra dictam significationem non inveniri, cum solutione ad loca objecta. 162. &c.
Vrgetur presius vox ἀντιλύτρου, & quod sanguis Christi pretium dicitur. 165
Aliæque locutiones idem valentes. ibid
In hac liberatione priorem esse effectum circa Deum, quam circa homines, probatur. 166
Item inde sequi, quod hæc liberatio peculiariter morti tribuatur, non resurrectioni, cum solutione ad objecta. 168. &c.
Quomodo ex placatione & redemptione in hac materia, satisfactio certo colligatur. 171
Vox μυστικῶς, explicatur, & ostenditur etiam, ad placationem sive redemptionem pertinere. 127

Quomodo Christi persona, dignitas, atque innocentia in pœnæ æstimationem veniat, ex sacris literis, & gentium consensu probatur. 173. 174

CAP. IX.

QVid sit, Christum pro nobis esse mortuum. 175
Tertia classis ad subrogationem pertinens. ib.
Eam significari vocabulo pro. ib.
Præpositionem Græcam ἀντὶ aliam significationem pati. 176
Præpositionem ὑπὲρ, in hac materia non aliter exponendam, cum solutione ad objecta. 177. 178
Caiaphæ dictum, Ioh. 11. 50. *exponitur.* 180. 181

CAP. X.

DE *expiatione facta per mortem Christi.* 182
Quarta classis ad expiationem pertinens. (ibid.
Circa sacrificium expiatorium, veræ & erroneæ explicationis discrimen. ib.
Actionem primam, esse circa Deum, non circa hominem. 183
Quomodo in veteri Testamento victimæ, per modum subrogationis homines expiaverint, explicatur, & probatur. (184. 185
Non obstare differentiam speciei, quæ est inter hominem & bestiam. 187
Nec, quod per sacrificium Deo nihil accedat. 188
Christi sacrificio Deum moveri ad remissionem, probatur ex collatione Christi cum ultimis legalibus. 189
Et ex locis, qui Christum agnum vocant. (190
Aliis etiam sacrificiis, præter expiationem anniversariam, adumbratum Christi sacrificium probatur. 192. 193
Gentium consensus de victimis expiatoriis, & placationem, redemptionem, subrogationem iis tribui. (194. &c.

Vnde

Vnde orta & quam late patuerint hominum mactationes. (200 &c.

Expiatione non significari abstractionem à peccatis futuris, cum solutione ad loca objecta. 207. &c.

Neque solam antecessionem ordinis ad remissionem sine efficacia, quod claris locis probatur. 211

Expiationis voce, proprie luitionem significari. 212

Patefactioni divinæ voluntatis, non tribui expiationem 214

Expiationem factam, antequam Christus cœlum ingrederetur. 215

Oblationem & in terra & in cœlo factam, duplici vocis significatu; ibid

Oblationem in terra factam, proprie θυσίαν dici. ib.

Hac sublata etiam Christi sacerdotium tolli. 218

Operis conclusio. 219

FINIS.